DE

ANTIGONO CARYSTIO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GVILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
NONIS MARTIIS CIƆIƆCCCLXII.
H. XII.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
REINHOLDUS KOEPKE
BEROLINENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

E. ECK, JUR. DR. ET JUR. CAM. REF.
G. FREUND, PHIL. CAND.
G. ROSE, PHIL. CAND.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.
[1862]

PARENTIBUS

OPTIMIS · DILECTISSIMIS

PIETATIS · CAUSA

CAPUT I.
De vita Antigoni Carystii.

De Antigono Carystio admodum pauca ad nos pervenerunt testimonia.

Patriam eius satis significat Carystii cognomen multis firmatum Laertii Diogenis, Athenaei, aliorum locis. Natus erat in antiquissima Euboeae insulae urbe Carysto, haud procul a mari sub radicibus Ochae montis sita. (cfr. Strab. X p. 446. Steph. Byz. s. v. Κάρυστος.) De parentibus aut prima aetate aut rebus domesticis nusquam quidquam commemoratur.

Aetatem autem qua vixerit Antigonus certissimis tenemus indiciis. Aristocles enim apud Eusebium in praeparat. evang. XIV. p. 445, ubi de Pyrrhone et Timone agit, Ἀντίγονος γὰρ inquit ὁ Καρύστιος κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους γενόμενος καὶ ἀναγράψας αὐτῶν (Menagius in adnot. ad Laert. Diog. II 62 mala quadam ductus subtilitate sine idonea causa αὐτοῦ scribi voluit) τὸν βίον κ. τ. λ.; quibus ex verbis ante omnia conligere licet Antigonum Pyrrhonis Timonisque fuisse superstitem. Atqui Timonem ipsum vitam Pyrrhone longius produxisse Wachsmuthius (de Timon. Phlias. p. 17) ex tota quam concepit et adumbravit Sillorum ratione recte probavit. Maioris igitur momenti erit quaestionemque nostram valde adiuvabit enucleare, quo tempore Timo mortuus sit; id quod si fieri posset valde laetarer. De Timone accuratiores, ex quibus de mortis tempore aliquid conligi possit, aetatis definitiones omnino desunt. Tamen Wachsmuthius l. c. probabilitatem quandam sequutus circa ol. CXXXVII vel VIII sillos a Timone annis iam provecto conscriptos esse suspicatur. Id quidem si verum est — neque fallit eius ratiocinatio —, atque si cogitaveris per nonaginta annos vitam degisse Timonem (cfr. Laert. Diog. IX. 112) eam tibi informabis sententiam, ut poetae Phliasii mortem ad extremos Euergetae annos, qui mortuus est ol. CXXXIX 4, vel potius ad Philopatoris regni principia referas. Ex quibus constat

Antigonum Philopatore rege elaborasse in literis. — Praeterea aliud quoque iam extat testimonium, quod magno opere nobis persuadeat, hoc ipso quod statuimus tempore floruisse Antigonum. Composuit enim inter alia etiam Lyconis vitam (Athen. XII. 547 D. etc.), quem mortuum esse demum ol. CXXXVIII 3 ex Laertii Diogenis verbis (V. 68) recte computavit Zumptius (Best. der philos. Schul. p. 66). Inde si sequitur vel probabile est cum maxime non ante ol. CXL mortuum esse Antigonum, vitam eius quominus ad posteriorum Ptolemaeorum regna promoveamus Aristoclis prohibent verba κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους. Haud igitur multum a vero abducemur, si Antigonum Carystium celebrem fuisse putabimus Euergeta et Philopatore Ptolemaeis regibus.

Lobeckii opinio (Aglaoph. I. p. 749), ne quid omittere videar, nil turbat computationem nostram. Is enim, quum Archelaum Aegyptium, quem unum τῶν ἐν ἐπιγράμμασιν ἐξηγουμένων τὰ παράδοξα τῷ Πτολεμαίῳ Antigonus (ἱστορ. παραδ. συναγωγή c. XV) auctorem sequi videtur, sub Euergeta secundo (ol. CLVIII 4. — CLXV 4) „rerum mirabilium curiosissimo investigatore“ demum vixisse atque hunc Ptolemaeum ab Antigono significari contendat, haud scio an alios adducat, ut Antigonum ad posteriora referant tempora. Attamen ut taceam de exigua quae ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγῇ isti tribuenda sit fide, errorem Lobeckii melius Westermanno (Paradoxogr. p. XXII ff.) refutavit Muellerus (histor. graec. fragm. vol. III. p. 28 Anm.), qui nitida quadam usus coniectura Archelaum ad Philopatoris refert regnum. Nil igitur id minuit sententiae nostrae fidem, quam auget potius auctoritas Clintonis (fast. hell. III p. 513), Westermanni (l. c. p. XIX), Muelleri (l. l.), Duentzeri (Episch. Cykl. p. 31). Verum magna eorum est turba, qui sub Ptolemaeo Lagi et Philadelpho, non tamen post eos Antigonum vixisse nescio quibus victi argumentis leviter contendant. Gessnerus solus in bibliotheca Diogenis Laertii aequalem i. e. ad secundum saeculum p. Chr. n. referendum esse putat Antigonum. Cuius errorem, profectum ex inepta quadam interpretatione loci Diōgeniani (III. 66), satis itaque redarguit Menagius (observ. ad l. l.), ut acta agere viderer, si ea de re verba facere conarer.

Quo autem anno natus sit aut quo obierit mortem Carystius, ne coniectura quidem ullo pacto assequi possumus.

Praeter haec nil a quoquam commemoratum invenio, ex quo aut magistris unde disciplinam acceperit aut locis ubi potissimum

vitam degerit aliquid lucis affundi queat. Attamen Partheyi (Alex. Mus. p. 151) lubenter sequor opinionem, qui Antigonum Carystium Musei sodalem fuisse putat, quamvis nemo scriptorum apertis verbis ea de re loquatur. Antigonus enim iisdem quibus literarum studiosi omnes tunc impellebantur caussis adductus Alexandriam se contulerat, tutum illud literarum praesidium divina Ptolemaeorum provisum sapientia. Ac profecto eruditionis doctrinaeque Antigoneae indoles et ratio, quantum ex fragmentis existimare licet, talis est, ut germanum agnoscas scholae Alexandrinae alumnum, qui non tam ipse philosophiam ut liberalem disciplinam exerceret, quam doctum se praeberet aliorum praeceptorum interpretem. Utrum Athenis versatus sit Antigonus nec ne pro certo dici non potest. Tamen credibile videtur eum, quem haud procul ab Athenis natum scimus, ut philosophiae operam navaret primum se Athenas contulisse, ubi celeberrimi tunc philosophi florebant Crates, Arcesilaus, Lacydes academici, Lyco et Aristo peripatetici, Chrysippus Stoicus. Ibi fortasse literarum rudimenta edoctus Alexandriam postea se contulit.

De moribus Antigoni Carystii nil enarratur, nisi ex eius ipsius verbis (Anthol. palat. II. 227) conligere velis, μανίην σώφρονα hominum aquam bibentium ipsum non habuisse.

CAPUT II.

De scriptis Antigoni Carystii.

Quum mihi iam de Antigoni Carystii scriptis, quorum aut fragmenta tradita aut mentionem servatam habemus, eorumque argumentis ambitu arte dicendum sit, id potissimum curandum videtur, ut imaginem variae eius doctrinae effingamus certioribusque circumscribamus finibus. Qua quidem in re duae potissimum res difficultatem quandam haud exiguam parant. Primum enim in tanta nominis Antigoni frequentia quum in literis tum in artibus vix dici potest, quam iniucunda sit quaestio de legitimis, ut ita dicam, librorum fragmentorumve auctoribus. Graves enim et magni adhuc, si de ea re agitur, apud viros doctos invalescunt vigentque errores, quum saepissime propter vanum

quendam amorem suis, de quibus agunt, scriptoribus aut detrahant ingenii monimenta aut aliena obtrudant. Recte Plinius ea de re dixit, suae quemque inventioni favere. Deinde si quidem omnia quae extant Antigoni Carystii doctrinae monimenta conlegeris, praeter unum de rebus admirandis librum adeo decurtata habebis fragmenta, ut imaginem pristinae ubertatis animo fingere vix queas. Attamen spero fore ut iis, quae passim fractis lacerisque tabulis servata feruntur, Antigoni scriptis ad brevem revocatis conspectum demonstrare liceat, quomodo aetatis suae πολυμαθίαν quam vocant exercuerit.

Antigonus enim studiis suis amplexus est tot literarum partes ut fere nullam antiquae eruditionis provinciam intactam reliquisse dici posset. Neque id mirum! Vidimus Antigonum ei attribuendum esse aetati, cuius faciem ea qua solet subtilitate F. A. Wolffius (Prolegg. p. 113) hoc modo depinxit: „pro ingenio propriarum opum divité, trepida et mediocribus ansis se committens imitatio, pro poesis et eloquentiae concitatissimo spiritu, sobria saepe frigida eruditio in omnesque partes doctrinarum diffusa lectio; pro inventionis sollertia, sedulitas et cura et nitor quidam dispositionis poeticique sermonis; pro artium denique omnium magnifico et nativo flore, corollae ex undique decerptis flosculis collectae conspiciebantur.“ Cfr. Heyne de genio saec. Ptolem. in opusc. acad. vol. I p. 105 sqq. Neque contendam Antigonum ulla ex parte ab aetatis suae moribus et consuetudine quasi alienum aut ultra eius eruditionem elatum fuisse. Acumen et subtile quoddam iudicium frustra ab eo petes, sed diligentiam invenies et literarum usum multiplicem. Universa eius doctrina genuinum prodit eorum discipulum, qui quum tot Graeciae tantasque sive conruentes viderent civitates sive iam conlapsas, timore quodam ducti, ne bonae artes ipsaeque superiorum temporum literae et virorum inlustrium memoria innata omnium rerum humanarum fragilitate conriperentur, insignes se praebuerunt quum religiosissima in servando cura tum in conligendo industria. Id quo modo factum sit unusquisque compertum habebit, qui peripateticorum unquam inspexerit studiorum rationem, qui diligentius quam accuratius, copiosius quam acutius omnes scientiae partes, historiam geographiam rerumque naturalium cognitionem attingere solebant. Tamen nimis severe Bernhardyus (Griech. Lit. vol. II. b. p. 650) mihi quidem videtur iudicasse, quum aliqua cum despicientiae significatione Antigonum no-

minaret „einen prosaischen Sammler". Quod quidem eius iudicium, ex ieiuna ista rerum admirabilium conlectione certe profectum, quomodo omni egeat fundamento postea accuratius exponam.

Ut iam ad recensum transeam librorum, qui Antigono Carystio adscribendi sunt, fieri non potest quin eorum adhibeamus nomina, qui antea libros illos enumerarunt. Soli adhuc de hoc argumento egerunt: Meursius (oper. vol. VII p. 71) Fabricius (bibl. graec. IV p. 305 Harless.) neque satis fuse neque acute, atque Vossius (de hist. graec. p. 114 ed. Westerm.) accuratius quidem sed sine certo rerum disponendarum iudicio.

Nos incipiamus a libris prosa oratione scriptis, quibus Antigoni Carystii nomen quodam modo inclaruisse videatur.

Ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγή. — Unus Palatinus codex (no. 398) membranaceus saeculi X, de quo si accuratius edoceri velis adeas Bastium (epist. critic. ad Boissonadium p. 2 sqq.) decimo quinto loco inter cuiusvis generis scripta nobis servabat Ἀντιγόνου cuiusdam ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγήν, in qua mirabiles et singulares de animalibus et aliis rebus naturalibus undecunque conrasae observationes sine ullo iudicio temere referuntur. Quem quidem librum primus quod sciam edidit Xylander (Basil. 1568) atque post Meursium (Lugd. Bat. 1619 et 1622) et Beckmannum (Lips. 1791) nuperrime Westermannus in libro de paradoxographis graecis (Braunschweig 1839), cuius editione in hac mea commentatione usus sum. Alii et iidem doctissimi viri emendationes nonnullorum συναγωγῆς locorum ediderunt, quorum suo quemque loco testem advocabimus.

Hanc rerum admirabilium conlectionem primus Xylander in Stephano suo Byzantio (cfr. Fabricius. b. g. IV. p. 304 in not.) Carystio tribuit Antigono, quum videret Stephanum s. v. Γύαρος Carystio Antigono ea nominatim tribuere, quae in histor. mirabil. c. XVIII iisdem verbis relata legerentur. Neque negari potest hanc Xylandri coniecturam non dico probabilitatis sed potius veri prae se ferre speciem ita, ut qui librum illum qualemcunque Antigono Carystio adhuc tribuerint, nimiae temeritatis vituperationem omnino non meruisse videantur. Attamen accuratius ii de re anquirere debebant, qui ex huius συναγωγῆς indole iudicium suum formarent de Antigono Carystio. Atque ego denuo de libro illo vere ieiuno quaestionem instituere conatus sum, ut, si fieri posset, fundamenta subverterem, in quibus virorum doctorum contemptio-

nem, in Antigonum Carystium variis locis conlatam, videbam esse positam. Neque enim nego miram profecto ingenii iudiciique in eo viro necessario fuisse inopiam, qui non solum talem homine mediocriter docto vix dignam compilationem ex aliorum libris conficere conaretur, sed etiam in ipso conligendo eo usque temere et inconsiderate versari potuisset, ut iusta videretur Schneideri (Pericul. crit. in anthol. Constant. Cephal. Lipsiae 1772 p. 132. c. V.) indignatio, qua levissimam auctoris socordiam miratur potius quam vituperat. Non tamen desunt, qui Antigonum Carystium talem certe non merere vituperationem recte animadverterint; ex quo numero Leopardus Mus. Rhen. 1835 p. 6 sq.), ut Antigonum suum defenderet, auctorem ita instituisse contendit conlectionem, ut in quavis re primum sibi deligeret eum scriptorem, qui plurima ipsi suppeditaret, deinde quae ab aliis sparsim narrarentur de eadem re subiceret. Quae tamen frustra disputata esse unusquisque intelleget, qui συναγωγήν istam sine lege aut artificio confectam esse perspexerit.

Sed ut ad propositum nostrum propius accedamus, ipsi libri indolem et rationem eo consilio perscrutemur, ut quid culpae Antigono tribuendum sit accuratius investigemus.

Primum igitur, ut inde incipiam, videamus oportet, utrum plenam illam συναγωγήν traditam habeamus, an temporis iniuria, id quod in omnibus fere eius codicis Palatini operibus factum esse Bastius affirmat, genuinam aliqua ex parte deleverit formam. Sub finem mutila esse conlectanea ad unum omnes statuunt. Leopardus vero etiam initium integrum non esse ex iis, quae de instituto συναγωγῆς ordine et rerum dispositione sibi excogitavit, pro certo conligendum esse censuit, quum priorum capitum commune quoddam argumentum certis verbis non expressum esse videret. Cui tamen coniecturae omne deesse, in quo exstruatur, fundamentum, supra dixi. Westermannus (l. p. XIX) aliis quoque praeter finem locis mutilum esse librum sibi persuadet, si liceat coniecturam facere ex Phlegontis hist. mirab. c. 28 coll. cum Antigoni c. CX. Phlegon enim Antigono auctore enarrat rem valde prodigiosam Alexandriae esse visam, ubi apud ipsum Antigonum Alexandriae nomen haud inveniatur. Sed ne eius quidem coniecturam satis firmam esse duco. Auctor enim συναγωγῆς inde e capite LXI usque ad CXV certo quodam quamquam ab eo, qui hodie servatur, alieno singulorum librorum ordine ex Aristotelis περὶ ζῴων opere

quae ipsi digna viderentur non quidem accurate sed tamen sine omnibus certe additamentis ita excerpsit, ut, quum Aristoteles illo quem respexit conlectaneorum auctor loco (VII. 4 ed. Bekker) nil haberet de Alexandria, satis perspicuum esset neque in Antigoni συναγωγῆς c. CX urbem fuisse conmemoratam et Phlegontem quum multa alia tum etiam hoc loco Alexandriae mentionem de suis temere iniecisse. Merito enim Westermannus (p. XXXVIII) Phlegontis conlectionem „ineptissimam, prodigiosissimam, anili sapientia ac superstitiosa garrulitate plenissimam ab historica fide alienissimam“ esse vituperat. Repudiandae igitur eorum sunt coniecturae, qui Meursium sequuti apud Antigonum ἐν Ἀλεξανδρείᾳ excidisse censeant. Quae quidem res utut se habet, ex iis quae adhuc disputavimus satis elucet, tantum abesse ut Antigoni συναγωγὴν omnibus ex partibus perfectam aut concinne dispositam putemus, ut in tanta operis tenuitate neque divinare possimus neque quaerere tentemus, num quid vel quae intercidisse videantur.

Nunc vero videndum est, quid in libro isto congesserit auctor quibusque auctoribus usus res enarraverit; quam ad quaestionem priusquam transeo, graviter errasse moneo Fabricium (b. g. IV. p. 303) et qui eum sequuntur, quum contendat plurima in hac Antigoni συναγωγῇ enarrata ex libro „de admirandis auscultationibus“ Pseudo-Aristotelico esse deprompta. Quorum errorem Westermannus (p. XXVII) certis caussis quanquam non satis accurate refutavit.

Quinque si quid video libri partes accuratissimis indiciis disponi disiungique possunt. Quarum in *prima*, ab initio ad c. XXVI usque definienda, continentur et narratiunculae Timaei Myrsili Amelesagorae Theopompi Ctesiae Aristotelis, et propriae, ni fallor, de rebus nonnullis naturalibus observationes auctoris, in quibus variis comprobatur exemplis, quo modo eiusdem generis animalia in diversis terrarum regionibus diversas habeant voces mores naturam. *Altera* conlectionis pars, quae capita XXVI—LX complectitur, singulari incipit exordio: καὶ μὴν τάς τε λοιπὰς ἐντρεχείας τῶν ζῴων, οἷον ἐν μάχαις, ἐν θεραπεύαις τραυμάτων, ἐν παρασκευαῖς τῶν πρὸς τὸν βίον ἀναγκαίων, ἐν φιλοστοργίαις, ἐν μνήμαις ἀκριβέστατ' ἄν τις ἐκ τῆς τοῦ Ἀριστοτέλους συναγωγῆς καταμάθοι, ἐξ ἧς ἡμεῖς πρῶτον ποιησόμεθα τὴν ἐκλογήν. Atque quae hac parte continentur omnia non modo ex nono libro historiae naturalis Aristotelicae petita sed etiam omnino certo eius ordine servato accurate

enarrata sunt. Id vero Westermannus in adnotationibus suis, quibus ubi easdem res enarratas invenisset breviter tantum adscripsit, non docuit legentem, quum modo ad indignam illam Pseudo-Aristotelicorum ἀκουσμάτων farraginem ab ipso valde despectam nos nescio cur remittat, modo certum ut videtur selectorum locorum ordinem neglegens alios afferat locos, quibus simile aliquid Aristoteles retulerit. Quamobrem quum Westermannus taceat, equidem maxima cum diligentia, id quod sine arrogantia dictum velim, nonum Aristotelis librum cum hac συναγωγῆς, quam secundam statui, parte ita contuli ut merito mihi confidere possis. Iam vero in primis huius partis capitibus duae leguntur res, quas apud Aristotelem non initio libri noni, sed demum c. 36. invenies enarratas, atque contra extremis quatuor huius partis capitibus narratiunculae extant, quae apud Aristotelem ad initium libri pertinent. Quae commutatio quo modo exorta sit diiudicare non ausim; id tamen pro certo dici potest, referendam eam esse ad errorem aut eius, qui hunc ex Aristotelis libris condiderit commentarium, aut librariorum. Certam, qua Aristoteles in libro nono historiae naturalis usus esset, rerum dispositionem et cognovit auctor et aliis locis accuratissime est sequutus. Quod ad rationem attinet selectorum, alia capita eisdem quibus Aristoteles usus erat verbis expressa invenimus, alia tamen neque pauca in brevius contracta eamque in formam redacta ut curam aliquam et iudicium, quantumcunque id est, vix desideres. A *tertia* parte (cp. LX–CXV) incipere videtur eligendi nova et eadem peior ratio ordoque. Caput LX quamvis propter verborum corruptelam omnino intellegi nequeat — nil enim prodest Leopardi emendatio (Mus. Rhen. 1835. p. 7. sqq.) — tamen exordium quasi fuisse iis quae sequuntur capitibus unusquisque statim videt. Dicit enim auctor post longiorem de Aristotelis assiduitate excursum se πρὸς τὴν ἡμετέραν ἐκλογὴν ἐπιποιεῖν προηρημένων (ι supra ων cod. προηρημένων Xyl. προειρημένων Meurs. Leop.; mendae notam huic loco adiecit librarius) αὐτῷ (αὐτὸ Leop.) τὸ ξένον καὶ παράδοξον ἔκ τε τούτων καὶ τῶν ἄλλων ἐπιδραμεῖν. Quae sequuntur sententiae ex toto Aristotelis de animalibus libro atque multo brevius sunt excerptae. Iis tamen omnino omne deest consilium, ut quid in iis admiratione dignum referatur vix videas. Aristotelicorum librorum ordo, quem conlectaneorum auctor strenue est sequutus, ab hodierno illo valde abhorret. Libri enim ita se excipiunt:

I. II. III. IV. V. VIII. VI. IX. VII. Decimum, qui vulgo sed per errorem legitur, (cfr. Thiel. de zoolog. Arist. libror. ord. et distrib. Progr. Breslau. 1855. pag. 16) haud cognovisse videtur auctor. Atque haec quidem pars artificioso ut ita dicam quodam epilogo (c. CXV) finitur: πολλῶν δὲ ὄντων, ὧν καταγέγραφεν Ἀριστοτέλης, ἐπὶ τοσοῦτον ἠδυνήθημεν ἡμεῖς ἐπὶ τοῦ παρόντος τὰ μὲν ἐκλέξαι, τὰ δ' ἀναμνησθῆναι. Incipit *quarta* pars a c. CXVI. et producitur usque ad c. CXXIX, qua continentur pariter atque prima quum Ctesiae testimonia, Myrsili, Theopompi, Hellanici, Hippyis Rhegini (Ἵππυς enim pro Ἵππων legendum esse postea exponam), denique eius qui τοὺς Σαμιακοὺς ὥρους συνέγραψεν (quem Duridem Samium, de quo Voss. l. p. 132 sqq., significari cum Westermanno p. XX credo, quamquam haec ipsa res, c. CXX. enarrata, apud Heraclidem Ponticum Samiac. fragm. III. cfr. Mueller hist. gr. II. p. 215. invenitur, cuius ipsius mentio extat apud Antigonum c. CLII cfr. Desswert. ad Heracl. Pontic p. 182.), tum ipsius ut videtur auctoris observationes immiscentur. Quae tamen hac enarrantur parte a caeteris alienissima videntur esse, quippe quae non tam ad res naturales quam ad fabulas spectent abstrusas, atque sive ex historia sive ex mythologia sive aliunde depromptae Phlegontis vel Pselli prodigiosam sapientiam fictis narrationibus prorsus assequantur. *Quinta* extremaque pars iterum singulari exordio inducitur: πεποίηται δέ τινα καὶ ὁ Κυρηναῖος Καλλίμαχος ἐκλογὴν τῶν παραδόξων ἧς ἀναγράφομεν ὅσα ποτὲ ἡμῖν ἐφαίνετο εἶναι ἀκοῆς ἄξια. Sunt igitur ex Callimachi θαυμασίοις exscripta quae hac parte continentur. Nam manifestum est ἐκλογὴν τῶν παραδόξων, quam vocat auctor συναγωγῆς, eandem esse atque quam Suidas s. v. Καλλίμαχος commemoret, θαυμάτων τῶν εἰς ἅπασαν τὴν γῆν κατὰ τόπους ὄντων συναγωγήν; cuius operis, ut Westermanno (p. X) videtur, mihi tamen persuasum est, pars fuit liber ille quem ut singularem idem conmemorat Suidas περὶ τῶν ἐν Πελοποννήσῳ καὶ Ἰταλίᾳ θαυμασίων καὶ παραδόξων. Eodem modo hic Callimachi liber nominatur ἐκλογή, quo antea Aristotelis συναγωγή. Sub finem mutilam esse conlectionem supra dixi.

Vides igitur de hac Antigoni ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγῇ idem valere, quod de Alexandro paradoxographo dixit Photius (bibl. cod. 158) λέγει μὲν ἐν τῷ βιβλίῳ πολλὰ τερατώδη καὶ ἄπιστα, πλὴν ἄλλους τῶν οὐκ ἀφανῶν εἰσάγει ταῦτα προιστορήσαντας. λέγει δὲ περί τε ζῴων καὶ φυτῶν καὶ χωρῶν τινων καὶ ποταμῶν καὶ

κρηνῶν καὶ βοτανῶν καὶ τῶν τοιούτων. Quem tamen librum sine ullo consilio aut artificio confectum esse si cogitaveris praetereaque eorum inspexeris opera, qui eadem, qua Antigonus Carystius, aetate scribentes de eius modi egerunt argumentis, nonne id tibi quaerendum videbitur, quo modo factum sit, ut vir, cuius ingenium non quidem eximium, tamen tam ieiunum et aridum non fuisse ex aliis quos scripsit libris satis constat, ut pessimus haberi deberet et rudissimus suae aetatis alumnus, quo modo igitur factum sit, ut talis vir talis libri culpam meruerit atque propter huius farraginis ieiunitatem tam male apud viros doctos audierit. Omnes enim, quos eadem eius aetate θαυμασίων libros conscripsisse scimus, neque pauci id fecerunt, quorumque scripta qualia fuerint ex fragmentis servatis diiudicare possumus, et artificiosius de argumento egisse et singulas melius distribuisse res satis comprobant quum Callimachi θαυμασίων συναγωγή, cuius disponendarum rerum ratio pertinebat ad singularum terrarum ordinem, tum Philonis Heracleotae liber περὶ θαυμασίων, cui duplicem in libros atque literas divisionem fuisse Suidas s. v. Παλαίφατος Ἀβυδηνός testatur, etiam Lysimachi Alexandrini συναγωγὴ Θηβαικῶν παραδόξων amplissima, cuius librum XIII conmemorat scholiasta ad Soph. Oed. Col. v. 91, et Polemonis liber περὶ θαυμασίων, qui quem ambitum habuerit Prellerus p. 132 recte divinasse videtur. Altera vero ex parte omnes illas, quae Aristoteli Ephoro Theopompo tribui solebant, rerum admirabilium ieiunas conlectiones certissimis ducti argumentis viri docti iam removent ut suppositicias ex scriptorum illorum serie (cfr. Marx Ephor. fragm. p. 32, Ebertius diss. Sicul. p. 173), quum manifestum sit talia opera ab homine aliquo inferioris aetatis male feriato esse coacervata. Sola ex illo tempore restat Antigoni Carystii συναγωγή et viro ipso et aetate eius plane indigna. Attamen nemo adhuc, uno Fuhrio (Dicaearch. p. 57) excepto, fidem eius operis unquam impugnavit. Quo fit ut magnopere gaudeam, quod data opera ad eum perveni quaestionis finem, ut Antigoni honorem quodam modo quasi restituere possim, quum a caeteris, qui adhuc rem anquisiverunt, viris dissentiens eo potius inclinem, ut θαυμασίων συναγωγήν ab Antigono Carystio abiudicandam esse censeam.

Atque primum quidem totam quam nos habemus συναγωγήν ab uno auctore conscriptam non esse certis argumentis probari potest. Quum enim singulae quas statuimus partes, neque ullo modo

inter se cohaerentes neque sententiarum nexu internoque vinculo coniunctae, iis, quibus vel incipiunt vel finiuntur, exordiis et epilogis, ad variorum scriptorum doctrinam sese pertinere ipsae prodant, tum maxime diversa earum partium ratio, in quibus τὰ ἀκοῆς ἄξια ex Aristotelis libris selecta enarrantur, secundam dico et tertiam, satis id quod supra contendimus vere disputatum esse probare potest. Secunda parte continentur quae ex nono Aristotelis libro exscribere placuit; quem librum apud veteres per se etiam constitisse Athenaeus (VII, 282 c. 307 c. 327 c.) probat, qui librum illum τὸ περὶ τῶν ζῴων ἠθῶν semper neque aliter appellat. Ex hoc libro πρῶτον se ποιήσειν τὴν ἐκλογὴν profitetur auctor. Atqui in ea quae sequitur parte, singulari distincta exordio, congesta sunt quae per totum Aristotelis opus atque in ipso nono libro digna videbantur. Iam vero quis est, qui credat, unum eundem hominem, qui Aristotelici operis plenum ambitum cognoverit, primum e nono singillatim excerpsisse libro τὰ παράδοξα ea, qua usum eum esse vidimus, diligentia, deinde ab initio operis inchoasse atque denuo ex eodem nono libro mirabili quadam socordia, quaecunque placebant, sine ullo iudicio congessisse? Cur librorum ordinem, quem certo quodam modo cognitum habuit, neglexit? Cur modo acuto modo nullo iudicio, modo longiora testimonia modo breviores sententias elegit? Cur nonum Aristotelis librum bis adhibuit? Nisi credere malis, virum aliquem ineptissimum tale opus artificiosa quadam et consulto exquisita garrulitate conscribilasse — neque te tale quidquam credere confido — nil restat quam ut mecum credas alterum fuisse qui ἐκλογήν libri noni composuerit, alterum male doctum, qui ex toto Aristotelis opere nec non ex ipso libro nono denuo memoria digna excerpserit.

Unde si sequitur secundam et tertiam partem propter electorum eligendique rationem uni non tribuendas esse auctori, iam alterum quoddam extat argumentum, cur idem de prima et quarta et quinta parte statuendum esse nobis persuadeamus. Legimus enim c. XV, quod ad primam attinet partem, καὶ ἐν Πέρσαις Κτησίας ἱστορεῖ παραπλήσιόν τι τούτοις· διὰ δὲ τὸ αὐτὸν πολλὰ ψεύδεσθαι παρελείπομεν τὴν ἐκλογήν· καὶ γὰρ ἐφαίνετο τερατώδης, ubi in margine adscriptum invenitur σημειοῦ ὅτι Κτησίας ψεύστης. Vides igitur, primae partis auctorem Ctesiae fidem talem habuisse ut eius testimonium tanquam falsum hominis levissimi sese plane praetermissurum esse polliceretur. Quid vero quod c. CXVI. legitur

φησὶν δ' ὁ ἱστοριογράφος, Ἀρσάμην τὸν Πέρσην εὐθὺς ἐκ γενετῆς ὀδόντας ἔχειν, ubi nomen quidem auctoris excidit, omnes tamen interpretes Baehrium (Ctes. fragm. p. 244) sequuti de Ctesia cogitandum esse merito censebant; quid? quod c. CXLV, CL, CLXV, CLXVI, i. e. quinta operis parte Ctesia teste res enarrantur, quae profecto non tales sunt, quae historiographi fidem ullo modo augere potuerint. Perspicuum est, alium esse auctorem primae partis, alium aliarum.

Quae si vera sunt, ea quae nobis servata est Antigoni συναγωγή ex iis unus est libris, quibus temporis iniuria non minuendo sed augendo damnum intulisse videatur. Fallor aut liber quem habemus ex parvis initiis ad vastum opus ea ratione exaggerabatur, ut varii variorum temporum librarii, qui sive describerent eum sive tantum perlegerent, male docti suae doctrinae fructus adscriberent atque ex Aristotelis Callimachi aliorum operibus, ὅσα τὰ μὲν ἐκλέξαι τὰ δ' ἀναμνησθῆναι poterant, adponerent. Mihi igitur persuasum est, singulas συναγωγῆς partes ab aliis viris literatis aliis temporibus deinceps confectas et operi additas esse. Quibus tamen temporibus singulae partes exortae videantur non liquet, nisi ex eo coniecturam facere velis, quod c. CXXI aerae olympiacae fit mentio. Quae quidem res ita se habet. Referuntur illo capite verba Hipponis Rhegini; ubi quoniam de Hippone aliquo mirabilium vel historiae scriptore ne minimum quidem usquam constat atque saepissime factum est, ut idem conrumperetur nomen, iam Vossius (de hist. graec. p. 19 et 455) Hippyis nomen iure restituit. Westermannus quidem (p. XX) et Prellerus (de Hellanic. p. 38) eius non probabant emendationem, quum viderent Hippyis temporibus (vixit Darei Xerxisque aetate) nondum uti consuevisse scriptores aera olympiaca, a Timaeo demum Philadelphi aetate inventa (cfr. Polyb. XII. 12). Vides quam fiat res angusta! Muellerus (fr. h. g. II. p. 14) rem ita expedivit, ut olympiadis notitiam ab alio addi potuisse diceret; id quod factum esse scimus haud raro (cfr. Ideler Chronol. I. p. 372). Atque Muelleri quum sequar sententiam, mihi iam quaerendum est, unde illa profecta sit interpositio. Muellerus cogitavit de Mye, qui Hippyis opera ἐπετέμετο cfr. Suidas s. v. Ἵππυς. Id num verum sit nescio, quum de Myis aetate nil unquam invenerim, ex quo conligi possit, utrum aeram olympiacam cognoverit nec ne. cfr. Iamblich vit. Pythag. 267. Mihi quidem olympiadis illa mentio ab eo interiecta videtur esse, qui Hippyis verba

sive ex ipsius opere sive ex Myis epitomis huc transtulerit, denique qui quartam συναγωγῆς partem composuerit. Illum vero hominem ad seriora tempora refero, quoniam usu βασιλέως vocis se ipsum haud minus praebuit male eruditum, quam falso quod posuit victoris nomine. Arytamas enim Lacedaemonius apud Eusebium in numero victorum olympiacorum non invenitur; ol. XXXXVI, non, ut hic legitur, XXXVI vicit Chrysamaxus vel Chrysomachus (interp. Zohrab.) Lacedaemonius teste Eusebio. Quo fit ut recte Corsinius et nomen et annum hic corruptum iudicans legi voluerit ἐν Ἀθήναις ἐπὶ βασιλέως Ἐπαινέτου ὀλυμπιάδος ἑκτῆς καὶ τετταρακοστῆς ἐν ᾗ Χρυσάμαξος Λάκων νικᾷ στάδιον κ. τ. λ.

Sed alia iam extant aliorum scriptorum testimonia, quae ad compositionis tempus definiendum apta videntur. Nam Phlegon Trallianus, Hadriani ille libertus, in libro suo c. 28 Antigonum advocat testem, ad nostram de qua agimus συναγωγήν certe respiciens, atque eius verba fraudulenter aucta refert. Ex quo constat Phlegontem Antigoni συναγωγήν ante oculos habuisse, in qua tertia iam quam statuimus pars legebatur. De Stephano Byzantio, qui caput XVIII συναγωγῆς ad verbum descripsit, quid sentiam postea dicam. Ex iis tamen omnibus, quae adhuc disputavimus conligi potest, Phlegontis certe aetate librum iam extitisse, Antigoni alicuius nomine inscriptum, de rebus admirandis. Quanto copiosior συναγωγή ea sit, quam nos habemus, illo libro, quo Phlegon usus est, id quidem quamvis certis argumentis probari nequeat tamen conici potest. Ut enim librarii novas adiecerunt conlectiones traditis, ita etiam ipsas traditas variis exornarunt interpositionibus. Id quod nisi in iis, quae ex Aristotele excerpta sunt, probari nequit, quum eorum librorum, e quibus aliae desumptae sunt narratiunculae, haud satis cognita sit genuina forma. Atque omnes eius modi interpositiones per totum dispersae opus, ubi occasio probandae doctrinae erat, veram suam indolem ea produnt re, quod quum omnia, quae ex aliorum libris deprompta sunt, sine ullo vel verborum vel sententiarum nexu deinceps enarrata non cohaereant inter se, ipsae interpolationes certis plerumque iisdemque verbis annectuntur, cuius modi invenies ἴδιον vel θαυμαστὸν δὲ καί, οὐχ' ἧττον δὲ τούτου θαυμαστὸν λ.; atque omnes fere de poetarum agunt sententiis, utrum recte aliquid an minus apte dixerint. Diiudicantur versus Homeri (Od. XIV v. 31 cap. XXIV, Hymn. in Mercur. v. 51 cp. VII) Philetae (c. VIII. XIX) Archelai (c. XIX. LXXXIX) He-

siodi (opp. v. 524 cp. XXI) Aeschyli (Τοξότιδ. c. CXV) Philoxeni (c. CXXVII) Alcmanis (cp. XXIII) Clearchi (c. XXV) Callimachi (cp. XLV); atque quae hoc modo afferuntur, e glossis veteribus deprompta esse ex eo conligas, quod et varias exhibent a nostris diversas lectiones (cfr. Baumeister ad Hom. Hymn. in Mercur. p. 194) et eaedem animadversiones in scholiis aliisque eiusmodi compilationibus saepissime repetuntur. Nimis longe nos a quaestione nostra deduceret, si quae ad singula capita animadvertenda conlegimus hic proferre vellemus. Iam vero in secunda et tertia parte tales interpolationes haud ita multae inveniuntur; in secunda enim praeter unam glossam Callimacheam (c. XLV) et unam sententiam (cp. LVI) ex sexto historiae naturalis Aristotelicae libro petitam nil certum eius partis ordinem turbat; quae in fine invenitur Lyconis mentio recentioribus deberi unusquisque videt. Etiam tertia pars non habet, quo verborum Aristotelicorum interrumpatur ordo, nisi c. LXXVIII et verba c. LXXXIV haec τὸ αὐτὸ δὲ καὶ ἐν τοῖς Καρυστίων θηρίοις, c. LXXXV ἴδιον δὲ καὶ τὸ πτερωτὸν τετράπουν εἶναι, quae omnia eandem prorsus prae se ferunt indolem cum iis quae adhuc in margine codicis nostri leguntur adnotationibus.

Atque iam satis de libri indole egisse mihi videor. Vides unde incrementum suum ceperit. Transeundum igitur est ad aliam quaestionem, qua explicemus, quo factum sit, ut Antigoni nomen farragini illi inscriberetur. Nam quod adhuc certa quadam ratione ducti demonstravimus, falsam esse operis huius inscriptionem, id etiam universa codicis, in quo solo συναγωγή servabatur, ratione et conditione confirmatur. Inter decem et novem, quae in eo extant, opera ψευδεπίγραφα sunt plurima; ut et Plutarchi liber de nominibus fluviorum ac montium et de iis quae in his reperiuntur, ad quem ipse librarius iam adnotavit ψευδεπίγραφον τοῦτο. πόρρω γὰρ τῆς Πλουτάρχου μεγαλοφυίας ἥτε διάνοια καὶ ἡ φράσις εἰ μή τις ἕτερος εἴη Πλούταρχος, et illa epistolarum congeries Hippocratis Themistoclis Diogenis Bruti (cfr. Westermann Epistologr. Lips. 1851–57) multaque alia a satis ineptis viris mira quadam socordia ex aliorum libris excerpta. Unde vero συναγωγῆς miserrimae inscriptio profecta sit, iam dicendum est. M. H. E. Meyerus (opusc. acad. I p. 86) egregie disputavit de fontibus, unde ψευδεπίγραφα in omnia scriptorum genera manasse viderentur; ex quibus, si per fraudem exortam esse libri inscriptionem credere malis, eligas quae tibi optume placeant. Eam tamen me-

lius opinor mecum tibi informabis sententiam ut id, quod in Aristotelis ἀκούσμασι factum esse Westermannus (p. XXVIII) putat, etiam huic nostro libro accidisse credas: a primorum capitum auctore denominatio sumpta est. Mihi enim non modo veri simile sed pro certo esse videtur, primam partem, quae, quamvis ne ipsa quidem omnibus vacua interpositionibus, tamen omnium maxime aliorum se abstinet testimoniis ipsiusque auctoris plerasque profert observationes, confectam esse ex Antigoni Carystii libro περὶ ζώων, cuius fit mentio apud Hesych. gl. ι 60 (vol. II p. 356 Schmidt), ubi Ἀντίγονος dicitur ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ ζώων τὸν καλούμενον μῦν ἐλειόν. Quem librum fortasse aliquis in compendium nescio qua ratione redegit, cui, quum tantum pars, quantacunque ea erat, servaretur, posterioribus temporibus alii alia adiungebant et subgerebant. Talia compendia in eodem Palatino codice extant haud pauca, ut chrestomathiae Strabonianae (cfr. Bast. l. p. 47) et compendium peripli Libyae, ab Hannone scripti.

Quid? quod Stephanus Byz. s. v. Γύαρος de muribus agens ea ut Antigoni Carystii nominatim adhibet verba, quae in Antigoni συναγωγῇ c. XVIII leguntur. Nonne inde perspicuum est, Antigonum Carystium esse auctorem libri, ut iam Xylander voluit. Minime! Si enim reete disputavimus nil profecto aliud fecit Stephanus, nisi locum quendam libri περὶ ζώων in commentarium suum transtulit, qui etiam in illam συναγωγήν migravit; atque illius loci argumentum non abhorruisse ab universa libri περὶ ζώων indole inde conligi potest, quod in eodem de muribus egisse Antigonum Hesychius testatur. Quod hoc loco divinare tantum et conicere licuit, id aliunde certius demonstrari potest. Legimus enim apud scholiastam ad Aristoph. Av. 299 (p. 217 v. 33 sqq. ed. Duebner) Ἀντίγονος δέ φησι τοὺς ἄρσενας τῶν ἀλκυόνων κηρύλους λέγεσθαι, οὓς καὶ γηράσκοντας αἱ θήλειαι βαστάζουσι τοῖς πτεροῖς. Eandem rem habent Schol. ad Theocr. Idyll. ζ v. 57 (Tom. V p. 136 Gaisford), qui tamen Antigoni sententiam melius perspicere debebat, Ἀντίγονος δέ φησιν ὅταν γηράσκωσιν οἱ ἀλκύονες κήρυλοι καλοῦνται, Hesychius gl. κ 2014 (vol. II p. 456 ed. Schmidt) ὁ δὲ Ἀντίγονος τῶν ἀλκυόνων τοὺς ἄρρενας κηρύλους φησί, Tzetzes ad Lycophr. v. 387 ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν κηρύλων καὶ ἅ φησιν Ἀντίγονος λεκτέον· γηράσαντας τοὺς ἄρσενας βαστάζουσι τοῖς πτεροῖς, ἐν δὲ τῇ συνουσίᾳ γηράσαντες οἱ ἄρσενες τελευτῶσι. Quibus omnibus omnium scholiastarum locis inter se comparatis manifestum est, Antigonum scripsisse τῶν δὲ ἀλκυόνων

οἱ ἄρσενες κήρυλοι καλοῦνται, οὓς καὶ γηράσαντας αἱ θήλειαι βαστάζουσι τοῖς πτεροῖς· ἐν δὲ τῇ συνουσίᾳ γηράσαντες οἱ ἄρσενες τελευτῶσι. Iam vero omnes adhuc viri docti, praesertim quum viderent et apud scholiastas, ubi de hac re ageretur, et in Antigoni συναγωγῇ (c. XXVIII) ad Alcmanis quosdam versus respici, contendere solebant, scholiastas illos hunc ipsum συναγωγῆς locum inspexisse. Videas quaeso, num id fieri potuerit? Alia sunt de cerulis συναγωγῆς verba, alia ea, quae Antigonum scripsisse ex scholiastis ipsis conligi potest. Ratum igitur est, aliunde illos sua hausisse; respiciebant certe ad librum περὶ ζῴων. Alio spectare video O. Schneiderum (de veter. in Aristoph. schol. Sundiae 1838 p. 95), qui de Antigono ad av. v. 299 laudato haec habet: „videtur Antigonus Carystius esse cuius περὶ λέξεως librum usurpavit Athenaeus." Is igitur, haud scio an inconsiderate, κηρύλων mentionem ad Antigoni Carystii librum περὶ λέξεως, de quo postea dicam, pertinere voluit, non vero, atque id merito quidem, ad θαυμασίων συναγωγήν. Confiteor scholii illius rationem a libri περὶ λέξεως indole omnino non discrepare; tamen ex iis, quae adhuc disputavimus, probabilius videtur, scholiastarum sapientiam ad Antigoni commentariolum περὶ ζῴων conscriptum referendam esse. Quo factum est, ut ei, quam de Pseudo-Antigonei libri indole proponere ausus sum, opinioni adiumenta et subsidia nec pauca nec levia variis ex caussis pararentur; atque ea, quae potissimum argumenta nostra turbare videbantur, si accuratius inspexeris, aptissima haberi poterunt quibus firmentur et comprobentur.

Antequam ad librorum Antigoneorum seriem revertamur, a qua longiore oratione defleximus, videtur esse operae pretium, quae de Antigoni συναγωγῇ quam vocant disputavimus et, si dis placet, expedivimus paucissimis verbis conprehendere: Ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγή non est unius hominis; falsa igitur est libri inscriptio et ex eo certe per fraudem sive piam sive impiam profecta, quod primis eius capitibus ea continebantur, quae ex Antigoni Carystii libro περὶ ζῴων excerpere nescio cui placuit.

Βίους scripsisse Antigonum Carystium quum multis locis a veteribus satis confirmatur tum maxime Hieronymus (hist. eccl. praef. Ib.) aperte testatur. Neque dubium est quin Menedemi Zenonis Pyrrhonis Dionysii Timonis aliorum vitae, quae Antigono et ab Athenaeo et Laertio Diogene variis tribuuntur locis, ad unum eum, de quo agimus, βίων librum tanquam partes referendae sint. Multis

enim iam satis probatum est exemplis et lexicographos et scholiastas et eiuscemodi scriptores omnes in citandis auctoribus usos esse diversissima ratione, ut modo libri alicuius totius modo capitis vel etiam inferioris sectionis afferrent inscriptionem (cfr. O. Jahn Palamedes p. 32 sqq.)

Quem tamen totus liber habuerit titulum accuratiore quodam modo definiri non potest. Simpliciter βίους appellavisse Antigonum opus suum, credere nos iubet et Athenaeus et Laertius Diogenes, qui ex βίοις sese sua hausisse semper profitentur. Attamen tales libros interdum neque raro pleniore inscriptos fuisse titulo, quam quo licet breviloquentiae caussa ab aliis citentur, multis edocemur exemplis. Sic igitur Hermippi liber περὶ τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαπρεψάντων (cfr. Mueller fr. hist. gr. III p. 32 sqq.), Satyri peripatetici βίοι ἐλλογίμων vel ἐνδόξων ἀνδρῶν (Hieronym. adv. Iovin. II), Aristoxeni βίοι ἀνδρῶν (Plutarch. mor. p. 1093 B.) variis citantur locis sub βίων nomine. Itaque quamquam distinctius pro certo affirmari nil licet, tamen, quum ne unum quidem testimonium inveniatur, quod nobis persuadeat Antigonum in libro suo non de philosophis tantum sed de aliis etiam viris egisse, veri simile atque ex analogia probabile videtur, eundem habuisse titulum Antigoni opus, quem Dioclis Magnesii (cfr. Laert. Diog. II. 54.) libro fuisse scimus: βίοι φιλοσόφων. Hunc operis titulum videntur statuisse Schweighaeuserus (Animadv. ad Athen. XII. 547. D.) Muellerus (fr. hist. graec. IV p. 305) alii; quamquam simpliciorem tituli formam non desunt qui defendant (cfr. Ebert. Diss. sicul. p. 117 Anm. 77).

Ad βίων φιλοσόφων quod attinet rationem et materiae distributionem, nisi ex analogia nil evincere possumus ad certiorem libri imaginem definiendam. Quid tamen in operibus suis huiuscemodi scriptores praestitisse viderentur, exposuit E. Köpkius (Quid et qua ratione etc. p. 7 sqq.). Philosophorum turbam ex placitis (cfr. Theodoret. in Therap. Serm. 2) in singulas distribuere solebant disciplinas distributamque eo tractare ordine, qui in successionis connexu ponitur. Quo factum est, ut permulti e quibus Sotion Alexandrinus, Iason Nysaeensis, Sosicrates Rhodius, Alexander Polyhistor tales de vitis philosophorum libros simpliciter nominarent φιλοσόφων διαδοχάς. Ut igitur uno verbo dicam, librorum illorum omnino talis erat indoles, qualem ex Laertii Diogenis opere adhuc notam habemus. Id vero si de Antigono etiam valere pro-

babile videbitur, alia ex parte lubenter concedes virum doctum non eo consilio conscripsisse βίους φιλοσόφων, ut eorum δόξας exponeret examinaret perstringeret. Sed aeque ac caeteri nil profecto aliud spectabat nisi eam, quae illo tempore homines incesserat, cupidinem mores fata vitas eorum cognoscendi, qui propter sapientiae laudem et literarum gloriam ab aequalibus suis bene audirent. (cfr. Graefenhan Gesch. d. Philol. vol. II p. 192 sq.) Quo quidem in studio qualem se praestiterit Antigonus, quum ex fragmentorum indole ac ratione evinci vix queat, conligendum est ex ingenio ac moribus biographorum, qui illa aetate florebant; de quibus Luzacius egregie disputavit (Lection. attic. p. 105 sqq.). Is enim quum videret et diligentiam et curam et fidem, sine quibus vaga quidem et varia, neutiquam vero germana doctrina posset comparari, saepissime desiderari in testimoniis tum examinandis tum recipiendis, fuse et eo, quo solet, acumine de iis quaesivit rebus, unde innumerabiles istae calumniae, solidam rerum factorumque scientiam conturbantes, atque multa mendacia originem suam traxissent (cfr. Bayle Diction. I. p. 290 Not. A. s. v. Archelaus). Neque est cur negemus, etiam in Antigoni libro non solum multa ex impuris fontibus hausta (fragm. I) philosophorum memoriam ea, qua opus est, dignitate deprivasse, sed etiam historiae honestatem saepissime earum rerum postpositam fuisse oblectationi, quae curiosius enarratae quam verius acuminis vi facetiarumque nervo legentium caperent animos. Quamquam accuratioris cuiusdam iudicii vestigia omnino haud deesse videntur (fragm. III).

Libri ambitum, ut de eo iam loquar, angustioribus haud circumscriptum fuisse finibus ex eo conligo, quod etiam de Ctesibio, Chalcidensi philosopho non ita insigni, egisse videtur (fragm IX). Caeterum earum, quae commemorantur, vitarum ne una quidem ad philosophos ante Socratem docentes pertinet, sed omnes ad eas disciplinas referendae sunt, quae ab eo tanquam proseminatae sunt, dissentientes inter se et multum disiunctas et dispares, tamen omnes Socraticas. Id in medio relinquendum erit, num in singulos libros opus suum distribuerit Antigonus.

Sed de βίων φιλοσόφων ratione satis dixisse mihi videor, quorum bonam apud veteres famam fuisse quum alia tum maxime id satis demonstrat, quod inde vel plurima in posteriorum scriptorum libros defluxerint.

Περὶ λέξεως librum conscripsisse Antigonum testis est Athe-

naeus (III 88 a VII 297 e 303 b.); atque ex iis quae ille attulit fragmentis, quae fuerit libri eius ratio, coniectura satis probabili assequi possumus. Refert enim Carystius duobus qui nobis servati sunt locis, ostream a Boeotis οὖς Ἀφροδίτης et thynnorum sacra Neptuno facta nominari θυνναῖα ea ratione, ut recte Graefenhanium (Gesch. d. Philol. vol. I p. 533) iudicasse statim intellegas, qui librum Antigoni lexici ratione digestum fuisse censeret. Satis enim perspicuum est Antigonum hoc, de quo agimus, libro neque ex grammaticis praeceptis de singularum vocum usu et conditione tanquam γραμματικὴν τέχνην composuisse, neque rhetoricae artis regulas ad orationem artificiosius quodam modo adornandam edocuisse, denique, ut Aristotelis acuta utar distinctione, de λέξεως aut λόγου legibus non anquisivisse, sed eorum potius accensendum esse numero, qui, ad singulorum tantum verborum origines et significationes magis certe quam ad formas spectantes, in iis maxime versati videantur vocibus, quas vel singulis modo Graeciae regionibus vel etiam certis hominibus literatis proprias et a communi loquendi consuetudine remotiores, quae accuratius explicentur, dignas putaverint. Atque quominus hanc de libro Antigoni περὶ λέξεως opinionem habeamus non prohibet, ne quis forte in eo offendat, operis titulus, quoniam recte Graefenhanius (I p. 527) ea de re ita disserit: „Schriften mit dem letzteren Titel (περὶ λέξεως) lassen ebensowohl auf einen rhetorischen wie lexikalischen Inhalt schliessen"; quamquam omnino hac de re accuratius ita statuendum erit, ut in libris, qui περὶ λέξεως conscripti reperiantur, variarum disciplinarum philosophos diversis, prout cuiusque schola postulaverit, rationibus de natura quasi orationis et vocum significatione eo modo egisse credamus, quo Dionysius Halic. (de vb. comp. pag. 212 ed. Schäfer) Theophrastum disputavisse edocet. Nam magis in usu fuisse, inusitatarum vocum glossarumque conlectiones vel γλώσσας vel λέξεις vel ἄτακτα vel σύμμικτα (cfr. Ernesti de glossem. graec. usu in Hesych. vol. I. ed. Alberti) appellare, mihi quidem constat. Verum enim vero ipsorum cognita est literatorum levitas, qua libris suis titulos inscribere solebant parum accuratos, atque his in rebus plus semel spectata temeritas (cfr. Schneider. Nicandrea p. 203).

Unde tamen conquisiverit singula, de quibus videatur egisse, vocabula, sive ex poetarum quorundam carminibus, sive ex periegetarum, qui de dialectis quaesiverunt, commentariis ea deprompserit,

sive in peregrinationibus ea ipse audierit et propter sermonis insolentiam aut reconditiorem significationem perscripserit, ne coniectura quidem assequi possumus. Neque de ordine, quo copiam congestam distribuerit, statuere audeo. Qua de re cfr. Rankium (Hesych. p. 70).

Περὶ ζῴων librum Hesychius (gl. ι 560 s. v. ἴλγοι) commemorat, de quo quid sentirem supra p. 15 iam dixi. Quodsi vera est nostra de ἱστοριῶν παραδόξων illa συναγωγῇ opinio, in prima eius parte haud pauca invenientur, quae ad eum, de quo agimus, librum pertineant. Certi tamen ex iis quidquam evincere non possum ad indolem huius περὶ ζῴων libri accuratius adumbrandam. Exposuisse inter alia videtur Antigonus, quo modo animalium natura, ut Aristotelis (hist. anim. IV. 9) verbis utar, καὶ τῶν ἄλλων ζῴων διαφέρει καὶ τῶν ἐν ταὐτῷ γένει ζῴων κατὰ τόπους.

Pervenimus iam omnibus, quos apud veteres commemoratos inveni, prosaicis libris enumeratis, ad ea, quae carminibus Antigonus Carystius condidit, monimenta.

Ἀντιπάτρου carminis hexametrici duos versus eximia literarum, qua Athenaeus usus est, cognitio nobis servavit. De quo quam varias et ineptas protulerint viri docti sententias, vix dici potest. Schweighaeuserus (in ind. auctor. Athen. tom. IX. p. 32) Antipatrum Antigoni non solum cum Meursio et Vossio (de hist. gr. p. 115) pro vita Antipatri accepit et ad βίων retulit librum, sed eo usque ἀκρισίας processit, ut versus ab Athenaeo laudatos non Antigono tanquam auctori tribuendos sed ex vetere aliquo nescio quo poeta ab eo traductos esse censeret. Quem errorem Iacobsius (Animadv. in Anthol. pal. vol. III 3 pg. 845) refutavit, quum intellegeret Athenaei verba aliter accipi non posse, quam de ipsius Antigoni verbis; atque plus operae, quam necessarium erat, in demonstrando consumpsit, ad βίων librum ea non pertinere posse, ostendens Athenaeum, ubi vitas respexerit, simplex non ponere nomen sed periphrasi (ἐν Ζήνωνος βίῳ, ἐν τῷ περὶ Ζήνωνος λ.) semper uti. Ipse tamen assentientibus Fabricio (B. g. IV. p. 305) et Schoellio (Griech. Literat. II p. 75) et Fuhrio (Dicaearch. p. 52 b.) Antipatrum poema esse contendit heroicum panegyricum de Antipatri alicuius vita et laude. Eodemque inclinare video Duentzerum (Epischer Cykl. p. 34). Alio quidem spectat Meinekius (Anal. Alexandr. p. 16), qui, quum poematis inscriptionem ex mythologicarum fabularum orbe non depromptam esse recte animadverteret,

hoc de quo agimus carmen ad eorum retulit genus, quorum titulum ab amico aliquo vel familiari, cui carmen aliquod suum poeta dedicasset, ductum esse censuit. Ex eius igitur opinione Antipatri nomen non ad argumentum carminis, sed ad virum pertinet quendam, cui librum suum dedicaverit Antigonus. Neque ex alio genere fuisse eodem loco censet vir egregius, si quid video, Euphorionis Alexandrum Apollodorum Artemidorum Demosthenem, fortasse etiam Polycharem, Partheniique Crinagoram. Philetae Hermeam, sic enim apud Strabonem (III p. 255) legendum esse olim statuit, cuius eodem loco fecit mentionem, omittendum esse censui, quoniam ipse suam iam reiecit coniecturam (Epimetr. II p. 351), qua titulum istum ex Strabonis Ἑρμηνεία confinxerat. Qua tamen speciosissima disputatione tanquam victi ne inviti sequamur Meinekii opinionem, vehementer caveamus accuratiusque rem perscrutemur oportet. Ex omnibus istis, quae ad idem atque Antipatrum retulit genus, carminibus unum tantum modo extat, quod cum Antigoni carmine possit conferri; Apollodorum dico Euphorionis. Nam quum de caeteris Euphorionis libris ipso Meinekio teste nec de forma nec de argumento quidquam constet, altera vero ex parte Crinagoram Parthenii haud dubiis indiciis elegiaco generi tribuendum esse ipse Meinekius (l. l. p. 259) edocuerit, nil ex his evincere possumus, quod Antipatro Antigoni, carmini certe hexametrico, non elegiaco, lucem quantamcunque afferre possit. Verum enim vero omnibus viribus discrimen tenendum est inter carminum elegiacorum inscriptionem et epicorum, ubi unius hominis iis inscriptum est nomen. Elegiacorum carminum, qui inscriptus est, titulus pertinet ad nomen vel dei vel hominis, cuius laus aut memoria carmine ipso concelebratur et colitur; id quum per se iam satis probabile est, tum ea etiam re certissime comprobatur, quod eiusmodi carmina modo ἐγκώμια vel ἐπικήδεια εἴς τινα modo singulo isto nomine appellari soleant. (cfr. Parthenii Ἀρήτη apud Meinek. p. 259, eiusdem Βίας p. 262 sqq., Antimachi Colophonii Λυδή ap. Athen. XIII p. 597 a, Cephali. Λαγίς ap. Athen XIII 592 c. etc.) Quid vero statuendum est de carminibus epicis, uno tantum vel dei vel hominis nomine inscriptis? Si ad mythologiam spectat nomen, nil offensionis habet, quum ex variis reliquiis satis eluceat, quo modo poetae fabularum ad aliquem deum vel heroa pertinentium aut universum orbem uno carmine congesserint — id quod in Euphorionis Dionyso factum scimus (cfr. Meineke l. p. 21) et in Hyacintho

et Philocteta — aut apto quodam enarrationis vinculo ab uno vel deo vel homine ea pronuntiari finxerint, quae doctrinae suae tanquam testimonia afferenda duxerint; id factum est in Alexandri Aetoli Apolline (cfr. Meineke p. 219), Lycophronis Alexandra, fortasse etiam in Euphorionis Anio, vaticinandi artis peritissimo (cfr. Clemens Alex. Stromat. I p. 144 Sylb., Servius ad Virgil. Aen. III 82). Sin autem homo, cuius nomen carmini alicui epico inscriptum est, ad mythologiam non pertinet, id quod in Antipatro Antigoni et Apollodoro Euphorionis accidit, quid faciendum est? Meinekius (l. p. 19) „fuit, inquit, procul dubio Apollodorus epicum sive malis hexametricum carmen, Apollodoro cuidam dedicatum, cuius argumentum fuit haud dubie maximam partem fabulosum; certe Clitae et Cyzici fabulam in eo locum habuisse docent fragmenta.“ Attamen unde vir egregius testimonia hausit, quibus demonstret, libro alicui fabulosi argumenti pro titulo unquam inscriptum fuisse nomen eius hominis, cui honoris caussa dedicatus esset, nisi ipsum carmen ἐπικήδειον quod vocant esset? Quo fit, ut Meinekii hac in quaestione non sequar auctoritatem, quamvis alias splendidissimam, sed cum aliis Antipatri nomen ad argumentum pertinere credam. Id tamen quale fuerit nec scire nec divinare licet. Otiosae alucinationes non dirimere possunt difficultatem!

Epigrammata Antigoni legebantur in anthologia, quam Philippus Macedo Augusto imperatore instituerat. Eorum tantum unum servatum est in Analect. Brunck. II. 244 et Antholog. pal. II 227, quod in Planud. Ἐπιγόνου Θετταλοῦ sive Θεσσαλονικέως inscribitur, in cod. Vatic. autem Ἀντιγόνου Καρατίου; atque id quin ex Καρυστίου depravatum sit dubitare noli.

Praeter haec, quae Antigono Carystio tribuuntur, opera unum iam extat singulare eiusdem testimonium apud Zenobium (Cent. V n. 82) quod, unde petitum sit quamvis probari nequeat, tamen ex iis, quae mox p. 24 disputabimus, aliqua cum probabilitate conligi poterit. Argumentum enim, de quo eo loco agit Antigonus, ab omnium eius librorum ratione plane alienum videtur esse.

Ad finem perduximus seriem eorum librorum et carminum, quae disertis verbis Carystio tribuuntur Antigono, atque iam necessarium videtur, si quid ei alienum obtrudatur, id removere. Stahrius (Aristotel. vol. I. p. 198) enim in talem errorem nescio quo modo deductus est, ut narratiunculas istas, quae apud Athenaeum (X 435 d. XII 548 e) de Philippo et Antipatro Macedonibus leguntur, ad

Antigonum Carystium referret. Primo tamen loco Athenaeus Carystium, altero Carystium Pergamenum disertis verbis auctorem nominat. Est igitur Carystius Pergamenus, qui ὑπομνήματα ἱστορικά conscripsit (cfr. Koepke de hypomn. graec. p. 13), Crateteus (cfr. Meyer opusc. acad. I. p. 94). Is tamen error profectus est e Vossii (hist. gr. p. 115) neglegentia, qui Antigono Carystio ὑπομνήματα illa temere adscripsit, quamvis eam rem postea (pg. 417) recte exponeret.

CAPUT III.

De aliis, qui Antigono Carystio tribui solent, libris.

Ἀλλοιώσεις. Antoninus Liberalis μεταμορφώσεων συναγωγῆς auctor (cp. XXIII) inter eos, qui eandem secum de Batto fabulam tractaverint, Antigonum quendam nominat ἀλλοιώσεων auctorem, quem Carystium esse Kochius (Proleg. ad Antonin. Lib. p. 27) contendit, Mellmanni (de caus. et auctor. narrat. de mut. form. p. 77), ut videtur, sequutus opinionem. „Carystio, inquit, Antigono si ἀλλοιώσεις tribuimus auctori, quemadmodum etiam Fabricio probabile visum, ex coniectura id facimus, quum saltem eius scriptis περὶ ζῴων (item ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγῇ) optume convenire ἀλλοιώσεις videantur.“ Atque id quidem recte disputatum esse lubenter credo memor insuper earum rerum, quas O. Schneiderus (Nicandrea p. 42 sqq.) ad Nicandri ἑτεροιολογούμενα egregie exposuit. Neque enim metamorphoseon opus aut ab Antigoni Carystii studiis aut ab illius, qua vixit, aetatis ratione ullo modo abhorret.

De hoc tamen libro, quo in nova mutatas dicere formas corpora instituit nec quod ad ambitum nec ad consilium attinet quidquam constat. Attamen fabulam novam hoc, quod solum servabatur, fragmento tractasse Antigonum aut reconditam, ipse negat Antoninus, cum dicat ἱστορεῖ Νίκανδρος ἑτεροιουμένων ά καὶ Ἡσίοδος ἐν μεγάλαις Ἠοίαις καὶ Διδύμαρχος (non Aristarcheus uti Schmidt. de Didym. p. 364 iecit potius quam coniecit, ab O. Schneidero Nicandr. p. 50 Anm. 1. merito vituperatus) μεταμορφώσεων γ′ καὶ Ἀντίγονος ἐν τοῖς ἀλλοιώσεσι καὶ Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἐν ἐπιγράμμασι, ὥς φησι Πάμφιλος ἐν ά (ubi Heckerus com. crit. de Anthol. gr. I p. 19 not. falso censuit legendum esse Παμφίλη ἐν ά. Nam

recte Schneiderus l. l. monet praeter lexicon Pamphilum etiam περὶ γλωττῶν καὶ ὀνομάτων scripsisse, in quibus fabulas multas proposuisset teste Galeno (Tom. XI p. 792 et 797).

Περιηγήσεως μακεδονικῆς mentionem Stephanus Byz. s. v. Ἄβαντις facit auctoremque nominat Antigonum quendam, quem Carystium esse nonnulli putabant. Neque id immerito. Negari enim nequit, omnium Antigoni Carystii librorum talem fuisse indolem, ut artis periegeticae quasi fructus esse videantur. Qua de re videas Prelleri (Polem. p. 185 sq.) egregiam de arte periegetica dissertationem. Nec Muellerus (fr. hist. gr. IV p. 306) nec Prellerus (l. 1 p. 178) diiudicare audebant, quinam intelligendus esset Antigonus. Aliter Graefenhanius (II 209 sq.) eundem esse, nescio quibus usus argumentis, contendit auctorem περιηγήσεως atque libri περὶ πινάκων, de quo postea agam. Mihi quidem probabilitatis quandam speciem haud exiguam videtur habere, non solum Antigonum Carystium fuisse auctorem huius περιηγήσεως sed etiam ipsam hanc μακεδονικὴν περιήγησιν partem fuisse amplioris operis, quod de aliis etiam egerit locis et eam habuerit de Nemesi Rhamnusia apud Zenobium repetitam enarrationem, de qua supra p. 22 locuti sumus.

Quod ad huius libri indolem attinet, Prelleri (Polemo. p. 178) sequor auctoritatem, qui ad eorum eum refert numerum, qui in antiquitatibus quas vocant enarrandis versati sint, quamvis nil certi de eo constare concedat. Caeterum de universa περιηγήσεων ratione Prellerus l. l. egregie itaque disputat ut, si ex analogia aliquid de Antigoni libro conligere velis, apud eum omnia quae huc pertineant congesta et disposita invenias.

Historia italica. Dionysius Halic. (A. R. I cp. 6. p. 17 R.) postquam Hieronymum Cardianum et Timaeum commemoravit, qui primi antiquitates italicas tractassent, pergit in hunc modum: ἅμα δὲ τούτοις Ἀντιγόνου τε καὶ Πολυβίου καὶ Σιληνοῦ καὶ μυρίων ἄλλων τοῖς αὐτοῖς πράγμασιν οὐχ ὁμοίως ἐπιβαλόντων· ὧν ἕκαστος ὀλίγα καὶ οὐδὲ αὐτὰ διεσπουδασμένως οὐδὲ ἀκριβῶς, ἀλλ' ἐκ τῶν τυχόντων ἀκουσμάτων συνθεὶς ἀνέγραψεν. Hunc Antigonum Carystium esse Droysenius (Gesch. d. Hell. II p. 114 Anm.) confidenter contendit. Muellerus contra (fr. h. g. IV. p. 305) „Antigonum, inquit, hunc Polybio antiquiorem esse ex serie, qua nomina auctorum se excipiunt, conicias. Putaveris igitur intellegendum esse Antigonum Carystium, qui Ptolemaei II et III temporibus vixit . . . Sed

eiusmodi conjecturis nil dirimitur.“ Equidem hic Antigonum intellego historiae italicae scriptorem, a Festo (p. 266 ed. O. Mueller) laudatum, neque Goelleri sequor iudicium (de sit. et orig. Syracus. p. IX), qui Vossii probat coniecturam (de hist. gr. p. 46), Antiochum hoc loco legendum esse itaque Antiocho Syracusano, qui περὶ Ἰταλίας scripsit (cfr. Goeller l. l. p. VIII sq., Mueller fr. hist. gr. I. p. 181) ea esse tribuenda, quae adhuc Antigono. Ad hunc Antigonum etiam pertinent, quae apud Plutarchum (Romul. c. 17. 11) leguntur, quamquam Valckenario (diatr. p. 223) ibi Antigoni nomen nescio cur suspectum videbatur. Neque enim Fabricius (B. g. IV. p. 305) quid sibi voluerit perspicio, quum Vossio errorem exprobraverit ipso indignissimum, tanquam ille Antigoni regis dictum ad scriptorem imprudenter retulisset. Vossius enim nil dicit nisi apud Plut. Rom. c. 17. inveniri Antigonum italicarum rerum scriptorem; neque in eo opinio eum fefellit, quamquam eodem capite etiam Antigoni regis dictum enarratur. Apparet igitur alium etiam Antigonum fuisse rerum italicarum scriptorem. Itaque cum O. Muellero (ad. Fest. l. l.) alium esse Carystium alium hunc Antigonum censeo, (cfr. Lewis Glaubw. d. altröm. Gesch. ed. Liebrecht. vol. I. p. 103) qui, quum inter Polybium et Timaeum viveret, aequalis fuit Fabii et Cincii Romanorum. Caeterum de Dionysii Halicarnas. verbis optume iudicavit Lewisius (l. l.) atque quid sibi vellent exposuit; unde de libri natura nonnulla conligi possunt.

Περὶ πινάκων librum si in eorum ponimus serie, qui Carystio Antigono tribui soleant, propter Meyeri (op. ac. I p. 94) iudicium id fecimus, quum Antigonum Carystium inter τοὺς περὶ πινάκων γράψαντας a Laertio Diogene (VII. 188) commemoratum esse contenderet. Atque id quidem ita se habet. Is enim ab aliis quorum testimoniis usus est, enarrari refert, Chrysippum philosophum turpissimam de Iove Iunoneque excogitasse fabulam, a nullo unquam artifice ipsa arte expressam οὐδὲ παρὰ τοῖς περὶ πινάκων γράψασι κατακεχωρισμένην· μήτε γὰρ παρὰ Πολέμωνι μήτε παρ' Ὑψικράτει (legendum fortasse Ξενοκράτει cfr. Plin. hist. nat. XXXIV 8. 19. 23 XXXV 36. 5) ἀλλὰ μηδὲ παρ' Ἀντιγόνῳ εἶναι, ὑπ' αὐτοῦ δὲ πεπλάσθαι. Unde igitur Meyerus Antigoni Carystii memoriam hauserit nescio. Immo ipse Diogenes neque Antigoni illius librum ante oculos habuit, id quod verborum demonstrat consecutio, neque forsitan ipse sciverit, quisnam fuerit ille Antigonus, utrum Carystius an alius, sed ex iis, qui-

bus usus est, fontibus et Antigoni et totius rei mentionem in suum convertit usum. Temere igitur id a Meyero disputatum esse mihi credas. Neque liber περὶ πινάκων omnino ad Antigonum Carystium pertinet, de cuius auctore quid statuendum sit ipsi iam quaeramus.

Atque primum quidem ex loci Diogeniani illius argumento nunc satis constat pictorum, non ut Casaubonus voluit librorum tabulas, enarrasse Antigonum et artium certe historiam inlustrasse (cfr. Menag. obs. ad L. D. vol. II p. 262. Meyer. l. l.) Atque recte Prellerus (Polem. p. 98) „crediderim, inquit, per hos (sc. pinacographos illos) inchoatum esse antiquarium illud scribendi genus, quo tabularum per templa porticus pinacothecas dispersarum argumenta describebantur, magis ut antiquitates inde inlustrarentur quam ut artis pingendi leges atque historia." Tamen ex Diogenis verbis id cogi non poterit, ut Antigonum περὶ πινάκων opus scripsisse constet. Nam ne inter Polemonis quidem scripta talis extat liber, sed aliis locis periegeta, prout occasio erat de iis rebus, copiosissime quaesivit. Iam vero Plinius (hist. nat. XXXV 36. 5) Antigonum et Xenocratem (nonnulli voluerunt Hypsicratem sed sine ulla ratione) de pictura scripsisse narrat, atque praeter eius mentionem in aliud, quod huc pertinere videtur, opus incidimus in catalogo librorum Polemonis. Scripsit enim periegeta Athenaeo (XI p. 474 c) teste πρὸς Ἀντίγονον περὶ ζωγράφων vel — ita saepius citantur — τὰ πρὸς Ἀδαῖον καὶ Ἀντίγονον. Qui fuerit titulus libri Polemonis scire nec quaestioni nostrae interest et a Prellero (I. p. 97) satis exploratum est; neque ullius ad rem nostram explicandam momenti est, Schweighaeuseri (Animadv. vol. IX. p. 179) removisse dubium et enucleavisse, utrum vox illa πρὸς hoc loco praepositioni contra responderet, id quod Prellerus voluit, an, quod Meyerus (acad. op. I. p. 92) et Bernhardyus (adn. ad l. l.), ubi de Aristophanis libro πρὸς τοὺς Καλλιμάχου πίνακας anquirunt, facere nos iubent, illud πρός velut additamentum significaret ita, ut Aristophanem indices literatos, a Callimacho conscriptos, copiosius enarrasse variisque rebus locupletasse putandum esset. Id unum inde discamus oportet, Antigonum quendam περὶ ζωγράφων scripsisse. Habemus igitur, si quid video, tria quae omnia ad picturam pertinent, argumenta et περὶ πινάκων et de pictura et περὶ ζωγράφων, de quibus Antigonus aliquis scripsit. Consentaneum iam esse duco, non modo eundem Antigonum a Plinio et Diogene et Athenaeo

commemorari, sed etiam omnia ista argumenta ad unum solum opus pertinere περὶ ζωγραφίας vel γραφικῆς i. e. de pictura, atque in eo disputatum fuisse de omnis artis pingendi disciplina (περὶ πινάκων) et de pictoribus ipsis (περὶ ζωγράφων) sive vitis eorum sive, quas vocant, successionibus et scholis. Et eam quidem materiam quam plenissime tractasse Antigonum Diogenis vel eorum, quibus usus est, auctorum verba satis probant. Quae adhuc disputavimus si vera sunt, idem huic Antigoni libro accidisse video, quod operi Iubae, Mauretaniae regis; id enim bis (Harpocr. p. 156. 1. Phot. bibl. p. 103 a. 2 ed. Bekker) περὶ γραφικῆς, semel (Harpocr. p. 149, 2) περὶ ζωγράφων citatur.

De auctore ipso dissentiunt viri docti. Quid Meyerus crederet iam supra dixi. Graefenhanius quidem haud ita inconsiderate auctorem μακεδονικῆς περιηγήσεως etiam περὶ πινάκων scripsisse posuit. Nam quam arctissime tabularum pictorumque cognitio coniuncta esset et cohaereret cum omni arte periegetica, tum ipse periegeta Polemo re, tum verbis Prellerus (I. p. 193) luculentissime probarunt. Sed id πολυμαθίας illi aetati proprium est, ut cuiusvis generis librum sive ad historiam sive ad grammaticam sive ad res naturales, denique ad quamlibet disciplinam pertineat, unicuique viro literato tribuere possis tanquam auctori, haud quidquam contendens, quod omni probabilitatis specie carere videatur. Omnia tamen desunt, in quibus nitantur illi viri, veterum testimonia. Alio quidem mea spectat coniectura. Muellerus enim (fr. h. g. III. p. 132) ad Antigonum de pictura scriptorem etiam illa verba Plinii (XXXIV. 8. 9. 24) pertinere intellexit, quibus inter artifices proeliorum Attali et Eumenis contra Gallos Antigonum nominat „qui condidit volumina de arte sua“. Credit igitur, ni fallor, eundem esse scriptorem de pictura atque statuarium, de quo cfr. Sillig. catal. artif. p. 53. Neque id habet quo offendat. Xenocrates enim et ipse statuarius, qui copia signorum clarissimus fuit, non solum de arte sua (Plin. n. h. XXXIV. 8. 19. 24) sed etiam de pictura (Plin. XXXV. 36. 5) libros scripsit; atque omnino artes pingendi et statuas faciendi non modo literis sed etiam re coniunctae erant apud veteres; ita Pyromachus et statuarius erat et pictor. Quod igitur quum per se probabile sit Antigonum statuarium auctorem esse librorum et de pictura et de arte statuaria, tum ea etiam firmatur re, quod utroque loco a Plinio Antigoni mentio iuncta inveniatur cum Xenocratis nomine statuarii illius, qui de iisdem cum

eo argumentis egit. Id tamen diiudicare non ausim, utrum uno magno quodam opere et picturam et statuariam artem tractaverit, an duo fuerint libri, alter de pictura alter de arte statuaria. Prellerus (I. p. 193) quidem haud scio an iisdem, quibus nos usi sumus, ductus argumentis Antigonum unum posuit eorum, qui „de pictorum et statuariorum nominibus et vitis inquirerent", atque hoc modo de statuariis librum cum opere περὶ ζωγραφίας in unum videtur conflare.

Atque huius Antigoni ex Plinii verbis definire possumus et aetatem qua vixerit et urbem ubi degerit. Quoniam Attali adversus Gallos proelia arte sua concelebravit, Antigonum referamus oportet ad Euergetae tempora; Attalus enim, primus huius nominis rex Pergami, Gallos devicit ol. CXXXV. Qua cum computatione optume congruit Prelleri (I. p. 98) opinio, qui ex eo, quo cum Polemone coniunctus fuerit Antigonus, vinculo quasi quodam literario ratum esse effecit, Antigonum ante Polemonem i. e. Ptolemaeum Epiphanem floruisse. Eodem modo perspicuum est statuarium vixisse Pergami, ubi etiam Pyromachum, qui eandem Attali victoriam arte sua celebravit, vixisse scimus (cfr. Mueller. Archaeolog.* 157). Habemus igitur alterum Antigonum aequalem Carystii, Pergamenum, statuarium.

Itaque, quum nulli iam supersint libri, quos et a veteribus Antigono alicui et a viris doctis Carystio Antigono tribui scimus, ad aliam quaestionis partem hac disputatione traducimur; ad eam dico, quae est de caeteris Antigonis, quorum in literis monimenta extant.

CAPUT IV.

De caeteris Antigonis literatis.

Antigoni nomen admodum frequens graecis erat posterioribus temporibus, ideoque multi passim Antigoni commemorantur in omni literarum genere, quorum, quum ipsi veteres certi aut explorati nil plerumque afferant, aut de patria aut de aetate aut de studiorum ratione et de toto vitae curriculo, quod sint permensi, accuratiores haud evinci possunt significationes. Quo fit ut vehementer dolendum sit, quod temporum iniuria ea opera nobis

abstulerit, quae ad discernendos cognomines scriptores plurimum valuisse putandum est; velut Agresphontis περὶ ὁμωνύμων (cfr. Suidas s. v. Ἀπολλώνιος ἕτερ. Τυαν.) Demetrii Magnetis περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν καὶ συγγραφέων (cfr. Harpocr. s. v. Ἰσαῖος). Ita igitur contentos nos esse oportet iis, quae hanc ad quaestionem afferunt Meursius (ad Antig. Ca.r. op. vol. VII. p. 71) et Fabricius (Biblioth. gr. vol. IV. p. 305 ed. Harless.), adiumentis quamvis exiguis.

Antigoni, quorum ingenii monimenta aut extant aut extabant aliquando, praeter Carystium sunt hi:

Antigonus Cyclops, rex Macedoniae. — Cicero de off. II. 14, 48: „Extant epistolae et Philippi ad Alexandrum et Antipatri ad Cassandrum et Antigoni ad Philippum filium trium prudentissimorum, sic enim accepimus, quibus praecipiunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam alliciant, militesque blande appellando deleniant". Westermanus (epistologr. Lips. 1852 p. 12) monet Cyclopem intellegendum esse regem Asiae, Demetrii Poliorcetae patrem, neque audiendos esse, qui de Antigono cogitaverint Philippi, Demetrii II. filii, tutore, cui cognomen Doson erat. De epistolis ipsis, quamquam hodie non iam superstitibus, Heinius (ad. l. Cic.) recte iudicavit, ab hominibus posterioris aetatis fictas eas esse.

Antigonus Gonatas, rex Macedoniae. — Polyaenus (Strategem. IV. c. 6 No. 2) etiam Antigonum Gonnatam in literis elaborasse testis est. Narrat enim regem cum legatis agentem mutuis conloquiis commemorare solitum fuisse, quinam de quibus rebus atque negotiis antea apud ipsum legationem obiissent itaque effecisse, ut praestantissimae memoriae sibi laudem pararet. Id vero προςεδίδασκεν ἐκ τῶν ὑπομνημάτων i. e. ex diariis, quae de rebus a se gestis aut gerendis sine orationis arte in suum ipsius usum neque eo certe consilio conscripsit, ut in publicum prodirent aut ab aliis legerentur. Sunt igitur ὑπομνήματα illa, quae Romani diaria (cfr. Sempron. Asell. ap. Gellium N. A. V 18. 8) nos „Tagebücher" nominare solemus. (cfr. Koepke de hypomnem. graecis p. 3 sq.) Caeterum haec Polyaeni narratio in universam Antigoni ingenii morumque descriptionem optume cadit, quam Droysenius (Gesch. der Hellen. I. 320) depinxit. Cuius viri coniectura (l. l. p. 670) magnum prodit acumen, quum haec Antigoni ὑπομνήματα eodem modo, quo Pyrrhi βασιλικὰ ὑπομνήματα (Pausan. I. 12, 3),

in cognitionem venisse suspicetur Hieronymi Cardiani auctoris τῆς τῶν διαδόχων ἱστορίας, de quo Muellerus egit (fr. h. gr. II. p. 450 sqq.). Notissima enim erat ea, quae Antigono et Hieronymo intercessit amicitia (Pausan. I. c. 9. 10 et adnot. Siebelis vol. I. p. 35. Diodor. Sicul. XIX. 44). Hieronymi vero libro utebantur et Diodorus et Plutarchus, neque omni probabilitatis specie caret coniectura, ipsum Polyaenum illud quoque opus cognovisse, utpote qui teste Droysenio (l. I. p. 685) optimos habuerit auctores.

Aliud quoddam ab Antigono conscriptum inveni apud Arati biographum tertium (biographi ed. Westermann p. 58, 18) παρ' ᾧ (sc. Antigono Gonata) διέτριβεν αὐτὸς (sc. Aratus, nisi forte Ἄρατος legendum cum Kaisero ephem. nov. Ienens. VI. 1847) καὶ σὺν αὐτῷ Περσαῖος .... καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλός, ὡς αὐτός φησιν ὁ Ἀντίγονος ἐν τοῖς πρὸς Ἱερώνυμον (ubi librorum περί mutavit Ruhnkenius in πρός, a Meinekio Anal. Alex. p. 216 iure laudatus). Inde igitur apparet Antigonum Gonatam scripsisse πρὸς Ἱερώνυμον libros sive malis epistolas. Hieronymum illum intellexit Meinekius Rhodium, philosophum peripateticum, de quo egit Ionsius (Scr. hist. phil. II. 3. 6); sed etiam cogitari potest de Hieronymo Cardiano, quem non solum amicissimum regi fuisse supra ostendi, sed etiam gravem quasi in publicis Antigoni rebus sustinuisse personam Droysenius (Gesch. d. Hell. v. l.) edocuit. De ipso Antigoni, in quo Alexander Aetolus commemorabatur, scripto nil adhuc liquet.

Praeterea Laertius Diogenes (VII 7) regis Antigoni tradidit epistolam, qua Zenonem Citieum ut ad ipsum veniat in Macedoniam invitat (cfr. Westermann epistologr. Lips. 1852 p. 12). Qua de re nil hic afferre liceat nisi Meyeri (op. acad. I p. 87) verba: „non dissimilis ratio epistolarum quoque erat subdendarum, quarum auctores ab fraude non minus inepta quam impudenti alienissimi videntur fuisse“.

Antigonus Pergamenus statuarius auctor librorum de pictura et arte statuaria, de quo iam supra p. 25 sq. disputavi.

Antigonus historicus, qui Italiae conscripsit historiam. De eo quoque superiore capite quod dicendum videbatur p. 24 attulimus. Fragmenta invenies ap. Mueller. (fr. hist. gr. IV p. 305).

Antigoni Cumaei Varro (de re rust. I. 1) facit mentionem in catalago eorum, qui „graece scripserunt dispersim, alius de alia re, quos tu habere in consilio poteris quum quid de re rustica con-

sulere voles.“ At de viro ipso haud accuratius egit quam Columella, quem in suo indiculo conficiendo (lib. I. c. 1. 7 sqq.) Varronem presse secutum esse nemo nescit. Inter celebriores licet nominatur scriptores, quum opponantur etiam „obscuriores, quorum patriam non accepimus.“ Confidentius in tanta rerum obscuritate nil affirmari potest.. Olim quidem mihi in mentem venit, hunc Cumaeum Antigonum auctorem esse italicae historiae.

Antigonus Alexandrinus grammaticus. Erotianus (prooem. Lexic. Hippocr. p. 12 ed. Franz) πολλοὶ inquit τῶν ἐλλογίμων οὐκ ἰατρῶν μόνον ἀλλὰ καὶ γραμματικῶν ἐσπούδασαν ἐξηγήσασθαι τὸν ἄνδρα (sc. Hippòcratem) καὶ τὰς λέξεις ἐπὶ τὸ κοινότερον τῆς ὁμιλίας ἀγαγεῖν. Τῶν δὲ γραμματικῶν οὐκ ἐστιν ὅστις ἐλλόγιμος φανεὶς παρῆλθε τὸν ἄνδρα· ἔτι δὲ Ἀρίσταρχος, περὶ ὧν γεγράφασιν Ἀριστοκλῆς καὶ Ἀριστοπέας οἱ Ῥόδιοι καὶ μετὰ πάντας Ἀντίγονος καὶ Δίδυμος οἱ Ἀλεξανδρεῖς. Quibus ex verbis ante omnia ad aetatem huius Antigoni grammatici quodam modo describendam aliquid evinci potest. Erat enim certe vel aequalis Erotiani vel eo paulo antiquior ideoque vixit Nerone et Claudio regnantibus (cfr. Bussemaker. praef. ad schol. Nicandr.). Qua cum computatione alia quoque res consentit. Aristoclem enim Rhodium, quem Erotianus Antigono antiquiorem posuit, sua aetate vixisse narrat Strabo (XIV p. 655); atqui Strabo Augusti aetate floruit (cfr. Voss. de hist. gr. p. 229). Ex quo apparet Antigonum grammaticum ad primum post Christum natum saeculum pertinere; perspicuum igitur est, Didymum Antigoni aequalem νέον esse Ἀλεξανδρέα γραμματικὸν ὃς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ (cfr. Suidas s. v. Δίδυμος νέος).

Caeterum sanum est Meursii iudicium, qui hunc Antigonum ab Erotiano in praefatione laudatum eundem esse dixit, quem postea invenimus in πηνιρά (p. 312), ubi haec eius verba referuntur: τὸν ὄσχεόν φησιν οὕτω καλεῖσθαι Ἀντίγονος ὁ γραμματικὸς παρὰ τὸ ὡς ἐν πήρᾳ φησὶ καὶ ἐξ ἐλάφοιο. καὶ πηνάρα θυραίην. Franzius quum animadverteret nec hanc vocem apud Hippocratem legi nec Antigoni ipsius extare librum, quid sibi vellent ista verba difficillimum duxit explicatu. Tamen ad Suidam respiciens et Nicandrum (Ther. v. 586 ed. Schneider) locum optume restituit ita: πηρῖνα· τὸν ὄσχεόν φησιν οὕτω καλεῖσθαι Ἀντίγονος ὁ γραμματικὸς παρὰ τὸ ὡς ἐν πήρᾳ, ὡς καὶ Νίκανδρος ἐν Θηριακοῖς φησι· ἠὲ καὶ ἐξ ἐλάφοιο ταμὼν πηρῖνα θοραίην. Quodsi apud Hippocratem non extat tale verbum, Antigoni interpretationem ex commentario Hippocrateo

desumptam non esse satis apparet. Unde ab Erotiano hausta est?

Octies citatur in scholiis ad Nicandri Theriaca (Schol. Nic. ed. Keil. pg. 12, 6. 20, 9. 31, 18. 45, 16. 46, 23. 60, 9. 62, 19. 67, 7) Antigonus quidam, atque merito inde Bussemakerus l. l. conlegit, Antigonum illum commentarium in Nicandri Theriaca conscripsisse. Iam vero quis est, quin concedat ex hoc commentario Nicandreo haustam esse vocis πηρῖνα (Ther. v. 586) interpretationem ab Erotiano laudatam? Mihi quidem persuasum est unum esse Antigonum, qui et de Hippocrate et de Nicandro scripserit. Ac profecto quae excogitari possunt argumenta, quae magis ad unum spectare videantur studiorum genus, quam Hippocratis et Nicandri scripta, quae et simillima sint inter se dictionis novitate et obscuritate neque quidquam sibi invicem cedant? Atque in commentariis suis id potissimum spectasse Antigonum credo, ut virorum illorum voces, vel quas procuderat plane novas vel omnino inusitatas, ad omnium hominum verteret cognitionem et ad usum universum accommodaret. Quamvis ex commentariis illis Antigoni, ex Hippocrateo nil, ex Nicandreo nonnulla supersint, quae quo modo in scholia Nicandrea defluxerint Schneiderus (Nic. p. 71) exponit, tamen fragmenta quae servata sunt illius Νικάνδρου ὑπομνήματος (quale extat ap. Etymol. Magn. p. 338, 38, nam ibi cum Valkenaerio pro Νικαδίου legendum est Νικάνδρου) universam satis indicant eorum naturam.

Num idem sit Antigonus, qui Aratum explanasse dicitur (catal. script. qui Arat. inlustr. ad calc. comm. Hipparchei in Petavii Uranolog. p. 267) diiudicare non ausim. Fortasse alius est ac grammaticus, aut potius Nicaenus, de quo postea.

Antigonus mathematicus apud Ioannem Lyd. de ostent. 2 p. 274, 16 Bekker) extat laudatus vel potius vituperatus: Ἀντίγονος δὲ μετ' ἐκεῖνον (sc. Petorisin) διέκρινε καὶ διώρθωσε τὴν παράδοσιν πρὸς δὲ τὸ πυκνὸν τῶν ἐν τῇ ἀστρονομίᾳ γραμμῶν ἀποκλίνας ἀμύθητον ὄχλον καὶ ἀσάφειας πάσης ἀνάμεστον τῇ γραφῇ συγκατέθετο; ex eo quod apud Ioannem ante Aristotelem nominatur conligere licet, hunc Antigonum Aristotele esse antiquiorem. Ad eum etiam pertinere videntur Demophili verba (schol. ad Ptolemaei tetrabibl. p. 221) ἣν ἂν Ἀντίγονος καὶ Φάνης αἰγυπτικὸς καὶ ἄλλοι τινὲς ὑπέταξαν καὶ ὠνόμασαν ἰσοσκελὲς τρίγωνον τῶν ἀναφορῶν τῶν ζῳδίων.

Antigonus Nicaenus in astrologorum numero ineditorum est, cuius ἀποτελεσματικά in bibliotheca caesarea latent. cfr. (Lambeck.

de bibl. caes. vol. VII p. 557, Nessel. catalog. IV p. 63). Is forsitan interpres fuerit Arati.

Antigoni medici ἐν στρατοπέδῳ ἐπισήμως ἰατρεύσαντος pastillum ad capitis dolorem mitigandum refert Galenus (de medic. sec. loc. II c. 2 vol. XII p. 580 ed. Kuehn). Eiusdem meminit Marcellus Empiricus (c. 8) et Paulus Aegineta (lib. XII c. 8). Atque Galenus (l. c. p. 773) Ἀντιγόνου commemorat κροκῶδες λεοντάριον ἐπιγραφόμενον ἐπειδήπερ γλύμματα τούτῳ ἐσφραγίζετο. Num idem sit atque ille medicus celeberrimus, quem Lucianus (Philopseud. c. 6 vol. III p. 196 ed. Jacobitz) ut sui temporis aequalem commemorat, pro certo dici non potest. Si idem est, pertinet ad τοῦ Καίσαρος Τραιανοῦ aetatem καὶ ἐπέκεινα (cfr. Suidas s. v. Λουκιανός Σαμ.) De eo egisse dicitur Kuehnius (Additam. ad elench. medic. veter. a. J. A. Fabricio in Bibl. gr. vol. XIII. exhibit. spec. 2. an. 1826.)

Horum quos enumeravi Antigonorum nescio cui tribuenda videantur haec:

Schol. ad Iliad. ψ 319 (p. 613 ed. Bekker) Ἀντίγονος μέντοι ἄλλως ἀνεγίνωσκεν, οὐ παραδεχόμενος τὸ ἄρθρον, et

Schol. ad Euripid. Phoen. v. 159 Cobet. (p. 18 ed. Witzschel.) ἑπτὰ παρθένων] καὶ Σοφοκλῆς ἐν Νιόβῃ ἑπτά φησιν αὐτὰς εἶναι καὶ τοὺς ἄρσενας: — Ἄλλως. Ἀντῖγονος. Ἀριστόδημος οὐδαμοῦ φησιν ἐν ταῖς Θήβαις τῶν Νιοβιδῶν εἶναι τάφον, ὅπερ ἐστὶν ἀληθές. Scholion extat in cod. Marciano 471 (V). De re cfr. Preller. Gr. Myth. II p. 267 sq.

Praeter hos sane magnus extat apud veteres scriptores Antigonorum numerus et rebus gestis celeberrimorum et artibus inlustrium, qui, quum scripta nulla condiderint ingenii monimenta, ad nostram quaestionem non videntur attinere.

LIBRORUM RELIQUIAE.

In afferendis siglis Athenaei Dindorfium, paroemiographorum Leutschium et Schneidewinum, mythographorum Westermannum, Hesychii M. Schmidtium, Eusebii Gaisfordium sequutus sum; in Diogene Laertio usurpavi has notas:

A = cod. Arundelianus.
C = cod. Cantabrigiensis.
M = cod. Monacensis.
R = cod. Parisiensis regius Menagii primus.
RR = cod. Parisiensis regius Menagii secundus.
P = cod. Palatinus.
f = editio Frobeniana Basil. 1533.
s = editio prima Stephani Paris. 1570.

Varias horum librorum lectiones ex adnotationibus Stephani et Menagii et editione Huebneri eiusque appendice critica conlegi; omnino sequor Cobeti recensionem, a qua sicubi discedendum nobis videbitur, indicabimus sedulo.

1. Βίοι φιλοσόφων.

Priusquam ad βίων fragmenta conligenda aggrediar, id monitum velim, me non recèpisse nisi quod aut nominatim aut certa quadam ratiocinatione ad Antigoni librum referantur, quamvis plurimas sane extare credam narrationes et apud Diogenem et alios (cfr. fragm. II), quae auctore non nominato Antigono Carystio deberi videantur.

Ex Socraticorum serie solus adhuc superest

A. Menedemus Eretriensis,

cuius vitam Antigonum conscripsisse testatur Athenaeus X 419 e.

I. Laert. Diog. II 136. φησὶ δ' Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος, γράψαι αὐτὸν (Menedemum) μηδὲν μηδὲ συντάξαι ὥστε μηδ' ἐπὶ δόγματός τινος στηρίζειν· ἐν δὲ ταῖς ζητήσεσι, φησίν, ὧδε μάχιμος ἦν ὥσθ' ὑπώπια φέρων ἀπῄει.

ὥστε μηδ' ἐπὶ δόγματός τινος στηρίζειν M., vulgo legebatur ὥστε μηδὲ στηρίζειν ἐπί τινος δόγματος. — ὡς pro ὥσθ' Hesychius Milesius p. 38 ed. Orell., qui totum Diogenis librum in libello περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων σοφῶν exscripsit (cfr. Mueller fr. h. gr. IV p. 143). ὡςτ' libri et ipse Cobet.; errorem hunc editionis Stephan. 2 corr. Roeper. (Philolog. IX p. 26). — ὑπωπιάζων ἐπῄει Roeper. coni. l. c.; livoris signa Aldobrand., sugillationes in facie Stephan., in oculis ardentis spiritus indicia Ambros. Sed Pollux (II 52 ed. Bekk.) ὑπώπια τὰ ὑπὸ τοὺς ὦπας τῶν πληγῶν ἴχνη. Neque quidquam apud Diogenem mutandum, neque Roeperi emendatio loci dignitatem ulla ex parte restituit; vix enim credibile videtur Menedemum disputantem fustibus adversariis suis suam informasse opinionem, quamquam de Socrate tale aliquid enarratur a Diogene (II 21) et Aristoxeno (Porphyr. in hist. phil. ap. Cyrill. contr. Julian. VI p. 185 c ed. Spanhem.); ab eorum enim partibus, qui a verbis ad verbera abiisse philosophum putent, me non stare credas velim; sed hanc potius narratiunculam unam ex innumerabilibus certe calumniis esse puto, quae, profectae e contumeliosa dissensione et invidia sectarum inter se mutua, βίων libros inquinare solitae sint. Neque id mirum! Antigonum enim Carystium peripateticae maxime disciplinae favisse, scriptorum eius ratio docet; ii vero quo modo de Socraticis parum benigne sensissent, ostendit Luzac. lect. att. p. 111 (cfr. Cic. de legg. 1. 13 Acad. I. 4, II. 5. Tusc. III. 28. Aelian. hist. var. III. 19. IV. 9. Lactant. div. inst. III. 28 §. 30. Dionys. Halic. Ep. ad Pompej.) — ὑπῄει Cobetus.

II. Athen. X 419 e sq. Ἀντίγονος δ' ὁ Καρύστιος ἐν τῷ Μενεδήμου βίῳ τὴν διάταξιν διηγούμενος τοῦ παρὰ τῷ φιλοσόφῳ συμποσίου φησὶν ὅτι ἠρίστα μὲν δεύτερος ἢ τρίτος καθ' αὑτόν· καὶ ἔδει καὶ τοὺς
f. λοιποὺς παρεῖναι δεδειπνηκότας. ἦν γὰρ τὸ τοῦ Μενεδήμου τοιοῦτον ἄριστον. μετὰ δὲ ταῦτα εἰςεκάλουν τοὺς παραγενομένους· ὧν, ὡς ἔοικεν, ὅτε προτερήσειαν ἔνιοι τῆς ὥρας, ἀνακάμπτοντες παρὰ τὰς θύρας ἀνεπυνθάνοντο τῶν ἐξιόντων παίδων τί τὸ παρακείμενον εἴη καὶ πῶς ἔχοι τῆς τοῦ χρόνου συμμετρίας τὸ ἄριστον. ὅτε μὲν
420. οὖν ἀκούσειαν λάχανον ἢ τάριχος, ἀνεχώρουν· ὅτε δ' ὅτι κρεάδιον, εἰςῄεσαν εἰς τὸν ἐπὶ τοῦτο παρεσκευασμένον οἶκον. ἦν δὲ τοῦ μὲν

θέρους ἠτοιμασμένη ψίαθος ἐφ' ἑκάστης κλίνης, τοῦ δὲ χειμῶνος κῴδιον· προςκεφάλαιον δὲ αὐτὸν φέρειν ἕκαστον ἔδει. τὸ δὲ περιαγόμενον ποτήριον οὐ μεῖζον ἦν κοτυλιαίου. τράγημα δὲ θέρμος μὲν ἢ κύαμος συνεχῶς, ποτὲ δὲ καὶ τῶν ὡραίων εἰςεφέρετό τι, τοῦ μὲν θέρους ἄπιος ἢ ῥόα, τοῦ δὲ ἔαρος ὦχροι, κατὰ δὲ τὴν χειμερινὴν ὥραν ἰσχάδες.

419 e. προηρίστα μετὰ δυοῖν ἢ τριῶν ἕως βραδέως ἦν τῆς ἡμέρας L. D. II. 139; quae quidem genuina Antigoni Carystii verba fuisse credo, quum rem, apud Athenaeum valde obscuram, planiorem quodam modo reddant. — καθ' αὑτόν A C. καθ' ἑαυτόν P V L. — 419 f. παραγενομένους B, L. D., Hesych. Miles. p. 40 ed. Orell., legebatur παραγινομένους. — τὰς ὥρας B. — ἔχει P. — λαχάνιον L. D. — τάριχον Hesych. ταρίχιον L. D. — παρασκευασμένον V. — 420 a. αὐτόν C. αὐτῶν P V L. αὐτῷ L. D. Hesych., scilicet ut alibi pro αὑτῷ, quod exhibet apud L. D. f. — ἦν κοτυλιαίου L. D. ἢ κοτυλιαίου A B P. ἢ κοτυλαίου B. ἢ κοτυλιαῖον Bedrot. in Basil. et L. κοτυλιαίου C et Hesych.; corr. Schweigh. — τράγημα δὲ (ἢ addit B) θέρμος μὲν ἢ κύαμος A B C. τράγημα μὲν θέρμος ἢ κύαμος P V L. τράγημα θέρμος ἢ κύαμος L. D. Hesych. — ὡρίων L. D. Hesych. — εἰςφέρετο B. — ἄπιος om. P V. — ἢ L. ἡ P V. — ῥόα B C, L. D. Hesych. ῥοιά P V L. — ὄγχναι Hesych. ubi tamen reponedum ὦχροι; nam ἄπιος atque ὄγχναι idem, ipso Hesychio teste v. ἄπιος.

Totam hanc Menedemi epulandi rationem iisdem fere verbis, tamen omnino brevius et sine auctoris nomine Laertius Diogenes narrat (II. 139). Huebnerus (app. crit. ad L. D. vol. II p. 680) intercidisse ea, in quibus nominaverit auctorem, tanquam ad honorem Laertii servandum contendit. De re nec Schweighaeuserus (animadv. in Athen. V p. 343) nec Menagius (ad D. L. II 139) nimis artificiose multa adnotantes in interpretatione ipsa quidquam proficiebant. Antigonus nil narrat aliud quam Menedemi prandium pro coena fuisse, die iam in vesperam vergente (cfr. Plut. Symp. VIII 6. 5 p. 996. Lysias de caed. Erat. p. 26). Atque ipse quidem prius cum paucis amicis prandebat (caeteros enim, si quis forte aderat, iam coenasse necesse erat); deinde post eius ipsius prandium, quum κρεάδιον i. e. τράγημα (cfr. Becker. Charicles I p. 449 sq.) afferebatur, etiam alii advenire solebant γνώριμοι; prius nemo immittebatur εἰς οἶκον i. e. conclave coenaculum (cfr. Athen. IV 130 a. IV 145 c). — Vixit igitur philosophus εὐτελῶς ἀπὸ μεγάλων (L. D. II. 138).

III. Laert. Diog. II 143. τὰ ὅμοια τούτῳ καὶ Ἀντίγονος Καρύστιος ἱστορεῖ scilicet iis, quae Heraclides Lembus (Serapionis filius ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῶν Σωτίωνος διαδόχων) de Menedemi morte extremaque vitae aetate enarraverat: profectum esse Menedemum ad Antigonum regem atque quum, ut patriam e servitute eriperet, eum inducere non potuisset, totos septem dies cibo abstinentem ex animi dolore vita excessisse. Duae enim extant variae hac de re narrationes, de quibus adeas Rossium (comment. Diogen. p. 40 sq.) Alii, inter quos Hermippus Smyrnaeus ἐν τοῖς βίοις, referunt, Menedemum, quod Ptolemaeo patriam proditurus visus esset, communi Boeotorum decreto loco migrare iussum ad Antigonum Gonatam se contulisse regem; quarum calumniarum culpam Rossius tribuit Aeschylo, Menedemi in republica administranda adversario. Iam vero suspicio non multum abest, veram illam de Menedemi morte narrationem omnino deberi probitati Antigoni Carystii, ex cuius libro in Sotionis διαδοχάς atque inde iterum in Heraclidis migraverit compendium. Sotio enim, Epiphane rege scribens, Antigoni certe usus est βίοις.

Ex Academicis primus est

B. Polemo Atheniensis.

IV. Laert. Diog. IV. 17. φησὶ δ' Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος ἐν τοῖς βίοις τὸν πατέρα αὐτοῦ πρῶτόν τε εἶναι τῶν πολιτῶν καὶ ἁρματοτροφῆσαι. φυγεῖν δὲ τὸν Πολέμωνα καὶ δίκην κακώσεως ὑπὸ τῆς γυναικὸς, ὡς μειρακίοις συνόντα. Τοσοῦτον δὲ ἐπιτεῖναι τὸ ἦθος ἀρξάμενον φιλοσοφεῖν, ὥστ' ἐπὶ ταὐτοῦ σχήματος τῆς μορφῆς πάντοτε μένειν. ἀλλὰ καὶ τὴν φωνὴν ἀναλλοίωτος ἦν· διὸ καὶ θηραθῆναι Κράντορα ὑπ' αὐτοῦ. κυνὸς γοῦν λυττῶντος καὶ τὴν ἰγνύαν διασπάσαντος μόνον μὴ ὠχριᾶσαι· καὶ ταραχῆς γενομένης ἐπὶ τῆς πόλεως πυθόμενον τὸ γεγονὸς ἄτρεπτον μεῖναι. ἔν δὲ τοῖς θεάτροις ἀσυμπαθέστατος ἦν. (18) Νικοστράτου γοῦν ποτε τοῦ ἐπικαλουμένου Κλυταιμνήστρα ἀναγινώσκοντός τι τοῦ ποιητοῦ αὐτῷ τε καὶ Κράτητι, τὸν μὲν συνδιατίθεσθαι, τὸν δ' ἴσα καὶ μὴ ἀκοῦσαι.

17. ἁρματροφῆσαι Cf. cfr. Lobeck. Phryn. p. 673. — τῶν πρώτων τε εἶναι πολιτῶν καὶ λ. coni. Valcken. (ad Herodot. p. 411 a. ed. Wessel) neque male. — κατὰ δίκην coni. Kuehn. frustra. — ἀττόντος A. — τὴν ἰγνύαν τινὸς διασπάσαντος R., quod expressit Aldobrand., jure vituperat Menag. — δεινῶς διασπάσαντος coni.

Herelius (in Klotz. act. lit. II p. 1 pg. 105 coll. p. 3 pg. 356.) — ἀπὸ τῆς πόλεως C. — πυθομένων Cobet. — τὸ γινόμενον M.

Si forte miraberis quod hoc loco Diogenes in repetendis Antigoni verbis modo directo, quem vocant, modo obliquo usus sit sermone, adeas, quaeso, Siebelis. (ad Pausan. VI 20. 7.) Krueger. (gr. gr. §. 65. 11 Anm. 7. 8.) Caeterum de loco vid. Ross. comment. Diog. §. XXIII. — Pater Polemonis erat Philostratus civis pagi Oetensis ἁρματοτροφῆσαι τὸ πάντων κάλλιστόν τε καὶ μεγαλοπρεπέστατον νομιζόμενον εἶναι ἐπιτήδευμα (Xenoph. Hieron. c. 11. §. 5.) De δίκης κακώσεως ratione dixit Schoemann. (Attisch. Proz. p. 288.) Quae quidem narratiuncula satis ostendit Polemonem ex morum depravatione, qua iuvenem usum fuisse scimus (L. D. l. l. Valer. Max. VI 9. Horat. Sat. II 3.) non plane revertisse ad honestiorem vitae rationem sinceritatemque; quo fit ut valde mirandum sit, quod idem Laertius, qui talia de Polemone enarraverit, contumaciam eius ac duritiem summis extulit laudibus. De voce ἰγνύα vid. Lobeck. (Phrynich. p. 302); de Nicostrato Menagius egit ad locum nostrum.

V. Athen. II. 44 e. Πολέμων δ' ὁ ἀκαδημαικὸς ἀρξάμενος ἀπὸ τριάκοντα ἐτῶν ὑδροπότησε μέχρι θανάτου, ὡς ἔφη Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος.

ἔφην B. — ὑδροποτεῖν viri est sapientis et opponitur τῷ μεθύειν καὶ καταυλεῖσθαι apud Platonem (in Repp. VIII 561 d.), τῷ οἴνῳ διαχρήσασθαι apud Xenophontem (in Cyr. VI 2 26). Polemonem certe non tam sapientia quam valetudo a vino ad aquam cogebat.

Eius ἀκροατὴς erat

C. *Crates Atheniensis.*

VI. Laert. Diog. IV 22. συσσίτιον δέ φησιν αὐτῷ (Crateti) ὁ Ἀντίγονος εἶναι παρὰ Κράντορι, ὁμονόως συμβιούντων τούτων τε καὶ Ἀρκεσιλάου. τὴν δὲ οἴκησιν Ἀρκεσίλαον μὲν ἔχειν μετὰ Κράντορος, Πολέμωνα δὲ σὺν Κράτητι, μετὰ Λυσικλέους τινὸς τῶν πολιτῶν. ἦν δέ, φησίν, ἐρώμενος Κράτης μὲν Πολέμωνος, Ἀρκεσίλαος δὲ Κράντορος.

Ἀρκεσίλαος pro – ου f. — Lyside pro Lysicle Ambrosius. — Post Κράτης μέν legitur ὡς προείρηται, quae verba, ut Diogenis, ex Antigoni removi fragmento; spectant enim manifesto ad ea, quae Diogenes ipse iam IV. 21 de Cratetis Polemonisque amore dixerat.

Caeterum hoc fragmentum Carystii esse Antigoni nil dubium

est, quoniam et Carystius unicus est in catalogo scriptorum Diogeniano Antigonus (quid de Antigono in libr. VII 188 sentirem, supra pg. 25. dixi) et vix credibile videtur, Diogenem, alium si cogitas- Carystio cognitum Antigonum, certiore quadam significatione a set ipsi eum non distincturum fuisse.

Ex peripateticis superest

D. *Lyco Troadensis.*

VII. Laert. Diogen. V 67. ὠτοθλαδίας καὶ ἐμπινὴς ὢν (Lyco) καθά φησιν Ἀντίγονος Καρύστιος.

Idem habet Suidas s. v. ὠτοθλαδίας, ubi tamen ἐμποινής. ὠτοθλαδίας est ὁ τὰ ὦτα κατεαγώς sc. multis ictibus contusus. (cfr. Menag. ad l., Vergil. V 435 sq.) ἐμπινής est πίνῳ sive oleo palaestrico unctus. Lyco erat vir γυμναστικώτατος, qui aegritudinem extenuans parvis ait eam rebus moveri, fortunae et corporis incommodis, non animi malis. (Cic. Tusc. III 32. 78.) Cuius ad robur Menagius falso voluit Horatium (Epist. I. 1. 30) respexisse, ubi Glyco aliquis laudatur. Quamquam enim Lyconis nomini propter orationis γλυκότητα literam γ adiectam esse ex Diogene constat, tamen Horatius hic loquitur de Glycone athleta (cfr. Anthol. pal. I p. 516 ed. Jacobs).

VIII. Athen. XII. 547 d sq. καὶ Λύκων δὲ ὁ περιπατητικός, ὥς φησιν Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος, κατ' ἀρχὰς ἐπιδημήσας παιδείας ἕνεκα ταῖς Ἀθήναις περὶ συμβολικοῦ κώθωνος καὶ πόσον ἑκάστη τῶν ἑταιρουσῶν ἐπράττετο μίσθωμα ἀκριβῶς ἠπίστατο. ὕστερον δὲ καὶ τοῦ περιπάτου προστὰς ἐδείπνιζε τοὺς φίλους ἀλαζονείᾳ καὶ πολυτελείᾳ πολλῇ χρώμενος. χωρὶς γὰρ τῶν παραλαμβανομένων εἰς αὐτὰ ἀκροαμάτων καὶ ἀργυρωμάτων καὶ στρωμνῆς ἡ λοιπὴ παρασκευὴ καὶ ἡ τῶν δείπνων περιεργία καὶ ὁ τῶν τραπεζοποιῶν καὶ μαγείρων ὄχλος

e. τοσοῦτος ἦν ὥστε καὶ πολλοὺς ὀρρωδεῖν καὶ βουλομένους προσιέναι πρὸς τὴν διατριβὴν ἀνακόπτεσθαι, καθάπερ εἰς πολίτευμα πονηρὸν καὶ χορηγιῶν καί λειτουργιῶν πλῆρες εὐλαβουμένους προσάγειν. ἔδει γὰρ ἄρξαι τε τὴν νομιζομένην ἐν τῷ περιπάτῳ ἀρχὴν (αὕτη δ' ἦν ἐπὶ τῆς εὐκοσμίας τῶν ἐπιχειρούντων) τριάκονθ' ἡμέρας· εἶτα τῇ ἕνῃ καὶ νέᾳ λαβόντα ἀφ' ἑκάστου τῶν ἐπιχειρούντων ἐννέα ὀβολοὺς ὑποδέξασθαι μὴ μόνον αὐτοὺς τοὺς τὴν συμβολὴν εἰσενεγκόντας, ἀλλὰ καὶ οὓς παρακαλέσειεν ὁ Λύκων, ἔτι δὲ καὶ τοὺς ἐπιμελῶς συναν-

f. τῶντας τῶν πρεσβυτέρων εἰς τὴν σχολήν· ὥστε γίνεσθαι μηδὲ εἰς τὸν μυρισμὸν καὶ τοὺς στεφάνους ἱκανὸν τὸ ἐκλεγόμενον ἀργύριον·

ἱεροποιῆσαί τε καὶ τῶν θυσιῶν ἐπιμελητὴν γενέσθαι. ἃ δὴ πάντα ἐφαίνετο λόγου μὲν ἀλλότρια καὶ φιλοσοφίας εἶναι, τρυφῆς δὲ καὶ περιστάσεως οἰκειότερα. καὶ γὰρ εἰ παρίεντό τινες τῶν μὴ δυναμένων εἰς ταῦτα ἀναλίσκειν ἀπὸ βραχείας καὶ τῆς τυχούσης ὁρμώμενοι χορηγίας, ὅ γε μισθὸς ἱκανῶς ἦν ἄτοπος... οὐ γὰρ ἵνα συρρυέντες ἐπὶ ταὐτὸ τῆς ἕως τοὐρθρίου γενομένης τραπέζης ἀπολαύσωσιν ἢ
548 χάριν ἐξοινίας ἐποιήσαντο τὰς συνόδους ταύτας οἱ περὶ Πλάτωνα καὶ Σπεύσιππον, ἀλλ' ἵνα φαίνωνται καὶ τὸ θεῖον τιμῶντες καὶ φυσικῶς ἀλλήλοις συμπεριφερόμενοι, καὶ τὸ πλεῖστον ἕνεκεν ἀνέσεως καὶ φιλολογίας. ἃ δὴ πάντα γέγονε δεύτερα παρὰ τοῖς ὕστερον τῶν τε χλανίδων καὶ τῆς πολυτελείας τῆς εἰρημένης. οὐ γὰρ ἔγωγε τοὺς λοιποὺς ὑπεξαιροῦμαι. ὁ δὲ Λύκων ὑπ' ἀλαζονείας καὶ ἐν τῷ ἐπι-
b φανεστάτῳ τῆς πόλεως τόπῳ, ἐν τῇ Κόνωνος οἰκίᾳ, εἶχεν εἰκοσίκλινον οἶκον, ὃς ἦν ἐπιτήδειος αὐτῷ πρὸς τὰς ὑποδοχάς. ἦν δὲ ὁ Λύκων καὶ σφαιριστὴς ἀγαθὸς καὶ ἐπιδέξιος.

547 d. ἠπίστατο P. scribebatur ἐπίστατο. — ἀλαζονίᾳ AB. — τραπεζῶν ὄχλος vulg., corr. Meinekius (exerc. in Athen. II. p. 25.) — e. καὶ ante πόλλους om. B. — καὶ quod legebatur ante καθάπερ del. Schweighaeuser. — χορηγείαν B. — τέ post ἄρξαι om. B. — τριάκονθ' — ἐπιχειρούντων acc. ex. A. — f. μουσῶν vulgo, corr. Meinek. — τροφῆς B. — παρείεντο B. — Lacunae signum pos. Meinek. — τὸ αὐτὸ ... τοῦ ὀρθρίου vulgo, corr. Meinek. ἕω τοῦ θρίου B. — 548 a. φιλολογήσεως epitom. Hoeschelii, non C. — παρ' αὐτοῖς codd., corr. Schweighaeuser. — ὕστερον εἶναι P. — ἀλαζονίας A. — b. εἰκοσίκλινον ABCP. εἰκοσάκλινον VL.

De ἕνῃ καὶ νέᾳ cfr. Hermann. Gottesdienstl. Alt. § 45. 10.

E Cynicorum disciplina unus extat philosophus, cuius quidem vitam apud Diogenem haud invenies:

E. *Ctesibius Chalcidensis.*

IX. Athen. IV 162 e. Κτησίβιος δ' ὁ Χαλκιδεὺς ὁ Μενεδήμου γνώριμος, ὥς φησιν Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος ἐν τοῖς βίοις, ἐρωτηθεὶς ὑπό τινος τί περιγέγονεν ἐκ φιλοσοφίας αὐτῷ; ἔφη, ἀσύμβολος δειπνεῖν.

Ctesibius cynicus ad Antigoni regis tempora pertinet (Athen. I. 15 c) atque verisimile est, Athenaeum etiam ea, quae illo loco de eius pilae ludo admirabili affert, ex Antigono hausisse. Caeterum Menedemus, eius praeceptor, est Coloti Lampsaceni discipulus, alius atque Eretriensis (cfr. Laert. Diog. VI. 102 sq.) — ἀσύμβολος est nil afferens ad convivium commune (cfr. Becker. Charicles

I. 419). — De eodem interrogatus Aristoteles quid responderit narrat Laert. Diog. V. 20, quid Aristippus idem II. 68.

E Stoicis princeps est

F. *Zeno Citiensis.*

X. Laert. Diog. VII 12. Φησὶ δ' Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος οὐκ ἀρνεῖσθαι αὐτὸν Κιτιέα. τῶν γὰρ εἰς τὴν ἐπισκευὴν τοῦ λουτρῶνος συμβαλλομένων εἷς ὢν καὶ ἀναγραφόμενος ἐν τῇ στήλῃ „Ζήνωνος τοῦ φιλοσόφου" ἠξίωσε καὶ τὸ Κιτιεὺς προστεθῆναι.

Κιττιέα codd., corr. Huebner. Citieum Aldobrand. — προςθεῖναι f. Menag. προςτεθῆναι RPS. προςτεςθεῖναι A.

de re cfr. Becker. (Charicles II. 137).

XI. Laert. Diog. III 66. τὰ μὲν σημεῖα ταῦτα καὶ τὰ βιβλία τοσαῦτα (Platonis)· ἅπερ, ὡς Ἀντίγονός φησιν ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ Ζήνωνος, νεωστὶ ἐκδοθέντα εἴ τις ἤθελε διαγνῶναι μισθὸν ἐτέλει τοῖς κεκτημένοις.

ἐκδοθέντι ἃ εἴ τις MAR. Ambros. s.; non probant Aldobrand. et Menag. ad. l. — ἀναγνῶναι coni. Casaubon., quod habet R in marg. — Menagius recte animadvertit Platonis libros ab iis, qui ut eos compararent pecuniae non satis haberent, legendos a bibliopolis certa mercede conduci solitos esse.

XII. Athen. XIII 563 e. ὃς (Zeno) οὐδέποτε γυναικὶ ἐχρήσατο, παιδικοῖς δ' ἀεί, ὡς Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος ἱστορεῖ ἐν τῷ περὶ τοῦ βίου αὐτοῦ.

Aliter Laert. Diog. VII 13 παιδαρίοις τε inquit ἐχρῆτο σπανίως, ἅπαξ ἢ δίς που παιδισκαρίῳ τινί, ἵνα μὴ δοκοίη μισογύνης εἶναι. Ea sic concilianda putabat Schweighaeuser. (ad Athen. vol. VII pg. 36) ut scriberet hoc loco παιδαρίοις τε ἐχρῆτο· σπανίως, ἅπαξ λ. Attamen conciliavitne coniectura sua diversas illas narrationes? Minime. Antigonus narrat οὐδέποτε γυναικὶ ἐχρήσατο, Laertius σπανίως, ἅπαξ ἢ δίς που. Quo fit ut equidem de re ista minime iucunda ita iudicem, ut nil mutandum esse censeam, sed potius Athenaeum in recitandis Antigoni verbis non satis accurate versatum esse et ad id, quod hoc loco comprobaturus fuerit, sententiam accommodasse credam. Ex Zenonis enim moribus, viri abstinentis neque talium amantis voluptatum, magis est profecto, quod Laertius quam quod Athenaeus narrat. (cfr. Diog. Laert. VII 18.)

XIII. Athen. XIII 607 e. sq. φησὶ γὰρ Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ Ζήνωνος γράφων ὧδε· Ζήνων ὁ Κιτιεύς, Περσαίου παρὰ πότον

αὐλητρίδιον πριαμένου, διοκνοῦντος εἰςαγαγεῖν πρὸς αὐτὸν διὰ τὸ τὴν αὐτὴν οἰκεῖν οἰκίαν, συναισθόμενος συνείλκυσε τὴν παιδίσκην καὶ συγκατέκλεισε τῷ Περσαίῳ.

γράφων ὧδε om. B. — καὶ διοικοῦντος B. — συναισθόμενον B.

Laert. Diog. VII 13 σύν τε Περσαίῳ τὴν αὐτὴν οἰκίαν ᾤκει (Zeno). καὶ αὐτοῦ (Persaei) αὐλητρίδιον εἰςαγαγόντος πρὸς αὐτὸν (Zenonem), σπάσας πρὸς τὸν Περσαῖον αὐτὸ ἀπήγαγεν, ubi Ἀντιγόνου pro αὐτοῦ, sc. Antigoni Gonatae, Kuehn. Meibom. Ambros. contra omnem rationem scribebant. σπάσας A. Stephan. Ambros. quod mihi magis placet propter Athenaei συνείλκυσε; σπεύσας f. Menag. Aldobr. φθάσας Cobet. Legendum forsitan εὐθύς.

XIV. Athen. XIII 603 e. Ἀντιγόνου δὲ τοῦ βασιλέως ἐρώμενος ἦν Ἀριστοκλῆς ὁ κιθαρῳδός, περὶ οὗ Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος ἐν τῷ Ζήνωνος βίῳ γράφει οὕτως· Ἀντίγονος ὁ βασιλεὺς ἐπεκώμαζε τῷ Ζήνωνι. καί ποτε καὶ μεθ' ἡμέρας ἐλθὼν ἔκ τινος πότου καὶ ἀναπηδήσας πρὸς τὸν Ζήνωνα, ἔπεισεν αὐτὸν συγκωμάσαι αὐτῷ πρὸς Ἀριστοκλέα τὸν κιθαρῳδὸν οὗ σφόδρα ἤρα ὁ βασιλεύς.

Haec ipsa res a Laertio Diogene (VII. 13) narratur, verbo φασί addito. Huebnerus ibi φησί scribi et Antigonum Carystium intellegi voluit, cuius paulo ante (VII. 12) fit mentio. Et iure id quidem! Ea enim quoque, quae statim sequitur, narratio ad ipsum Antigonum referri videtur tanquam auctorem, quum verbum φησί adiectum sit. Atque consentaneum est eundem scriptorem, cum proxime ante ad aliorum fidem provocasset, si continuo deinde aliquid protulisset, quod Antigono iam ante commemorato deberetur, eius certe nomen denuo allaturum fuisse, neque credibile est Laertium, nisi ea, quae inter Antigoni legerentur nomen et τὸ φησί, ipsi Antigono tribuenda essent, hoc uno verbo auctorem e versu fere abhinc sedecimo repetiturum fuisse. Quo fit ut equidem cum Huebnero legam φησί sc. Antigonus, cui debere illam narratiunculam Diogenem testatur Athenaeus. Eum tamen rem non ad finem usque perduxisse, Diogenis ostendunt verba, in quibus narratiunculae tanquam acumen positum videtur, εἶτα μέντοι ὑποδῦναι.

XV. Laert. Diog. VII 13. ἐξέκλινε δέ φησι (Antigonus Car.) καὶ τὸ πολυδημῶδες ὡς ἐπ' ἄκρου καθίζεσθαι τοῦ βάθρου κερδαίνων τὸ γοῦν ἕτερον μέρος τῆς ἐνοχλήσεως. οὐ μὴν οὐδὲ μετὰ πλειόνων τῶν δύο ἢ τριῶν περιεπάτει.

φασί scripsit Cobet., qui Huebneri in sup. fragm. prolatam con-

iecturam non sequitur, sed ad Diogenis vel fontes vel populi sermonem refert. Sed retinendum est φησί.

Iam vero si verum est quod ad fr. XIV disputavimus et si cogitaveris, quomodo omnia fere ex Zenonis vita fragmenta, ab Athenaeo servata, congruant cum iis, quae Diog. Laert. VII. 12. 13., modo auctore nominato, modo vocula φησί adiecta, modo directa enarravit oratione, mihi concessurum te confido, Diogenem inde ab Antigono nomine eo usque, ubi Cleanthis nomen aliam prodit auctoritatem, omnia ex Antigoni libro non dico exscripsisse — id enim negant Athenaei verba — sed in compendium quodam modo congessisse. Restant igitur ex Diogene (VII. 12) tres tantum narratiunculae quae apud Athenaeum non inveniuntur, hae:

XVI. Laert. Diog. VII 12. Ποιήσας δέ ποτε κοῖλον ἐπίθημα τῇ ληκύθῳ περιέφερε νόμισμα, λύσιν ἕτοιμον τῶν ἀναγκαίων ἵν' ἔχοι Κράτης ὁ διδάσκαλος. φησὶ δὲ αὐτὸν ὑπὲρ τὰ χίλια τάλαντα ἔχοντα ἐλθεῖν εἰς τὴν Ἑλλάδα καὶ ταῦτα δανείζειν ναυτικῶς. ἤσθιε δ' ἀρτίδια καὶ μέλι καὶ ὀλίγον εὐώδους οἰναρίου ἐπέπινε.

ὀλίγου f. Menag. ὀλίγον om. R. Stephan. Aldobr. Quamquam φασί aliquo modo defendi potest, tanquam Antigonus, unde sumpserit, aut nescierit aut dicere noluerit, tamen corrigo φησί, ut ad Antigonnum ipsum pertineat verbum, non vero ad auctores eius.

XVII. Athen. VIII 345 c. sq. Ζήνων δ' ὁ Κιτιεὺς ὁ τῆς στοᾶς κτίστης πρὸς τὸν ὀψοφάγον, ᾧ συνέζη ἐπὶ πλείονα χρόνον, καθά φησιν Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος ἐν τῷ Ζήνωνος βίῳ, μεγάλου τινὸς κατὰ τύχην ἰχθύος παρατεθέντος, ἄλλου δ' οὐδενὸς παρεσκευασμένου, λαβὼν ὅλον ὁ Ζήνων ἀπὸ τοῦ πίνακος οἷος ἦν κατεσθίειν. τοῦ δ' ἐμβλέψαντος αὐτῷ, τί οὖν, ἔφη, τοὺς συζῶντάς σοι οἴει πάσχειν, εἰ σὺ μίαν ἡμέραν μὴ δεδύνησει ἐνεγκεῖν ὀψοφαγίαν;

ἐν Ζήνωνος Β. — οἷος τ' ἦν L. D., qui (VII 19.) eandem rem iisdem vere verbis sine auctoris nomine narrat; et melius quidem (cfr. Lobeck. Phrynich. p. 1 sq. Adn. e., Matthiae Gr. Gr. § 479 Adn. 2 a extr., Menag. ad Lucian. Toxarch. c. 15 p. 31.) Perperam Dalecampius vertit: quantus erat mandebat Zeno. Rectius Casaubonus: similis erat comedenti. Apte Schweighaeuserus: fesant mine de vouloir le manger; nos: Anstalt machen. — πάσχειν καθ' ἡμέραν L. D. l. l. — τὴν ἐμὴν ὀψοφαγίαν L. D. l. l.

XVIII. Athen. XIII 565 d. ὁ δὲ σοφὸς ἐκεῖνος Ζήνων, ὥς φησιν Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος, προμαντευόμενος ὑμῶν, ὡς τὸ εἰκός, περὶ τοῦ βίου καὶ τῆς προςποιητοῦ ἐπιτηδεύσεως ἔφη ὡς οἱ παρακούσαντες

αὐτοῦ τῶν λόγων καὶ μὴ συνέντες ἔσονται ῥυπαροὶ καὶ ἀνελεύθεροι, καθάπερ οἱ τῆς Ἀριστίππου παρενεχθέντες αἱρέσεως ἄσωτοι καὶ θρασεῖς.

συνέντες ABC. συνίεντες PVL. παρακούειν i. e. perperam audire (Plat. Protag. 330 E). Aristippus est princeps Cyrenaicorum, antea discipulus Socratis.

G. *Dionysius Heracleota.*

XIX. Athen X 437 e. Ἀντίγονος δὲ ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ τοῦ Διονυσίου βίου τοῦ Ἡρακλεώτου τοῦ ἐπικληθέντος Μεταθεμένου φησὶ τὸν Διονύσιον τοῖς οἰκέταις συνεορτάζοντα ἐν τῇ τῶν χοῶν ἑορτῇ καὶ μὴ δυνάμενον διὰ γῆρας χρῆσθαι ᾗ παρειλήφεσαν ἑταίρᾳ ὑποστρέψαντα εἰπεῖν πρὸς τοὺς συνδειπνοῦντας

οὐ δύναμαι τανύσαι, λαβέτω δὲ καὶ ἄλλος.

τοῦ Μεταθεμένου P. — χοῶν P. χόων VL. χόες ad anthesteria pertinent, (cfr. Harpocr. p. 184 ed. Bekker., Hermann. Gottesd. Alterth. p. 398 § 58). — Versus quo respondet Dionysius est πεπαρῳδημένος Homeri Od. φ v. 152, ubi Leodes, frustra conatus arcum Ulixis tendere, dicit:

ὦ φίλοι, οὐ μὲν ἐγὼ τανύω, λαβέτω δὲ καὶ ἄλλος.

H. *Pyrrho Elidensis.*

XX. Aristocl. ap. Euseb. pr. evang. XIV c. 18 p. 445. Ἀντίγονος γὰρ ὁ Καρύστιος κατὰ τοὺς αὐτοὺς γενόμενος χρόνους καὶ ἀναγράψας αὐτῶν (Pyrrhonis Timonisque) τὸν βίον, φησὶ τὸν Πύρρωνα διωκόμενον ὑπὸ κυνὸς ἀναφυγεῖν ἐπί τι δένδρον, σκωπτόμενον δ᾽ ὑπὸ τῶν παρόντων εἰπεῖν ὡς χαλεπὸν εἴη τὸ ἄνθρωπον ἐκδῦναι. Φιλίστης δὲ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ θυούσης ἔπειτα τῶν φίλων τινὸς ὑποσχομένου τὰ πρὸς τὴν θυσίαν, καὶ μὴ παρασχομένου· τοῦ μέντοι Πύρρωνος πριαμένου, καὶ ἀγανακτοῦντος, ἐπειδήπερ ὁ φίλος ἔλεγεν, ὡς οὐ ποιήσαιτο σύμφωνα τοῖς λόγοις, οὐδ᾽ ἄξια τῆς ἀπαθείας· εἰπεῖν αὐτόν, ἐν γοῦν γυναικὶ οὐ δεῖ τὴν ἀπόδειξιν αὐτῆς ποιεῖσθαι. (καίτοι δικαίως ἂν εἶπεν ὁ φίλος, ὅτι ματαία καὶ ἐν γυναικὶ καὶ κυνὶ καὶ πᾶσιν.)

5. εἶναι J. ἐκδοῦναι C. φιλίστας EFGJ. — 8. φιλόσοφος D. — 9. ποιῶ CDFG. ποιησαίμην EJ. οὐ om. CEFGJ. δεῖν E. ἐν οὖν δὴ γυναικὶ δεῖ D.

Idem narrat brevius tamen L. D. IX 66. Caeterum mirum non videtur, quod Pyrrhoni tale aliquid accidit, quem Diogenes

narrat μηδὲν ἐκτρεπόμενον, μηδὲ φυλαττόμενον, ἅπαντα ὑφιστάμενον ἁμάξας, εἰ τύχοι, καὶ κρημνοὺς καὶ κύνας καὶ ὅσα τοιαῦτα.

XXI. Laert. Diog. IX 62. σώζεσθαι μέντοι, καθά φασιν οἱ περὶ τὸν Καρύστιον Ἀντίγονον, ὑπὸ τῶν γνωρίμων παρακολευθούντων, nempe a variis periculis et impedimentis cfr. fragm. XX.

οἱ περὶ τὸν Καρύστιον Ἀντίγονον i. e. Antigonus Carystius (cfr. Lehrs. quaest. epic. p. 18 Anm.)

XXII. Laert. Diog. IX 62. sq. Ἀντίγονος δέ φησιν ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ Πύρρωνος τάδε περὶ αὐτοῦ, ὅτι τὴν ἀρχὴν ἄδοξός τ' ἦν καὶ πένης καὶ ζωγράφος. σώζεσθαι τ' αὐτοῦ ἐν Ἤλιδι ἐν τῷ γυμνασίῳ λαμπαδιστὰς μετρίως ἔχοντας. (63) ἐκπατεῖν τ' αὐτὸν καὶ ἐρημάζειν, σπανίως ποτ' ἐπιφαινόμενον τοῖς οἴκοι. τοῦτο δὲ ποιεῖν ἀκούσαντα Ἰνδοῦ τινος ὀνειδίζοντος Ἀναξάρχῳ ὡς οὐκ ἂν ἕτερόν τινα διδάξαι οὗτος ἀγαθόν, αὐτὸς αὐλὰς βασιλικὰς θεραπεύων. ἀεί τ' εἶναι ἐν τῷ αὐτῷ καταστήματι, ὥστ' εἰ καί τις αὐτὸν καταλίποι μεταξὺ λέγοντα, αὐτῷ διαπεραίνειν τὸν λόγον, καίτοι κεκινημένον ὄντα ἐν νεότητι. πολλάκις, φησί, καὶ ἀπεδήμει, μηδενὶ προειπών, καὶ συνερρέμβετο οἷςτισιν ἔτυχεν. καί ποτ' Ἀναξάρχου εἰς τέλμα ἐμπεσόντος, παρῆλθεν οὐ βοηθήσας· τινῶν δ' αἰτιωμένων, αὐτὸς Ἀνάξαρχος ἐπῄνει τὸ ἀδιάφορον καὶ ἄστοργον αὐτοῦ. (64) καταληφθεὶς δὲ ποθ' ἑαυτῷ λαλῶν καὶ ἐρωτηθεὶς τὴν αἰτίαν ἔφη μελετᾶν χρηστὸς εἶναι. ἔν τε ταῖς ζητήσεσιν ὑπ' οὐδενὸς κατεφρονεῖτο διὰ τὸ διεξοδικῶς λέγειν καὶ πρὸς ἐρώτησιν· ὅθεν καὶ Ναυσιφάνην ἤδη νεανίσκον ὄντα θηραθῆναι. ἔφασκε γοῦν γίνεσθαι δεῖν τῆς μὲν διαθέσεως τῆς Πυρρωνείου, τῶν δὲ λόγων τῶν ἑαυτοῦ. ἔλεγέ τε πολλάκις καὶ Ἐπίκουρον θαυμάζοντα τὴν Πύρρωνος ἀναστροφὴν συνεχὲς αὐτοῦ πυνθάνεσθαι περὶ αὐτοῦ. οὕτω δ' αὐτὸν ὑπὸ τῆς πατρίδος τιμηθῆναι ὥστε καὶ ἀρχιερέα καταστῆσαι αὐτὸν καὶ δι' ἐκεῖνον πᾶσι τοῖς φιλοσόφοις ἀτέλειαν ψηφίσασθαι.

62. ἐν ἥλιδι f. Ambros. Aldobr. — λαμπαδιστάς haud recte Stanlei. et Brucker. vertebant: servos lampadas tenentes; peius Meibom. lampadum artifices. (cfr. Ross. com. Diog. § LXXIV. Hermann. Gottesd. Alt. s. v. Staatsalt. § 162. 10). — 63. ἀεί — καταστήματι: in eodem situ corporis manere solitum. Aldobr. — λέγοντα, αὐτῷ f. λέγοντα αὐτόν s. Menag. λεγοντῷ A.; corr. Huebnerus ex Hesych. Miles. p. 48 ed. Orell. — συνερέμβετο οἷςτισιν ἤθελεν RR. Hesych. Miles.; confirmatur interpretatione Aldobrand.: quibus in locis volebat vagabatur. Legebatur καὶ συνεπορεύετο οἷςτισιν ἤθελεν; corr. Cobetus. — τινῶν: plerique Ambros. — 64. ἔφη μελετᾶν χρηστὸς

εἶναι: meditari se quo pacto bonus esset Aldobrand. — ἐξοδικῶς celeriter Ambros., quod et eius ad exitum semper spectabat oratio Aldobr.; corr. Kuehn., rec. Cobet. — θηραθῆναι: captum ferunt Aldobr. — ἔφασκεν γοῦν fs.

I. *Timo Phliasius.*

XXIII. Laert. Diog. IX 110. ἦν δέ φησιν Ἀντίγονος καὶ φιλοποιήτης καί ἄπο τῶν φιλοσόφων ἐσχόλαζε.

φιλοπότης vulgo; corr. Wachsmuth (de Timone Phliasio p. 8.). — ἀπὸ τῶν φιλοσόφων ἐσχόλαζε vulgo; Ambros.: philosophis interdum vacabat. Aldobr.: a philosophiae studiis feriatus. Kuehn.: a philosophiae studiis abhorrentia interdum composuit. Solus recte Wachsmuth. l. l.: literis incubuit remotus a philosophis, corr. igitur ἄπο.

XXIV. Laert. Diog. IX 111. φέρεται δ' αὐτοῦ καὶ καταλογάδην βιβλία εἰς ἐπῶν τείνοντα μυριάδας δύο, ὧν καὶ Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος μέμνηται, ἀναγεγραφὼς αὐτοῦ καὶ αὐτὸς τὸν βίον.

καταλογάδην βιβλία: libri varii, Ambros. — εἰς ἐπῶν — δύο: qui versibus ad XX continentur, Aldobr. — καὶ αὐτός om. Ambros.

De re cfr. Wachsmuth. l. l. p. 9.

XXV. Laert. Diog. IX 112. Ἐτελεύτησε δὲ ἐγγὺς ἐτῶν ἐννενήκοντα, ὥς φησιν ὁ Ἀντίγονος.

Verba om. f.; Ambrosius: mortuus est autem annorum ferme LXXX.

XXVI. Laert. Diog. IX 112. ὁ δ'οὖν φιλόσοφος καὶ φιλόκηπος ἦν σφόδρα καὶ ἰδιοπράγμων, ὡς καὶ Ἀντίγονός φησι.

Quae quidem verba viros doctos vehementer adhuc sollicitarunt, quum ante ipsa legerentur haec: γέγονε δὲ καὶ ἕτερος Τίμων ὁ μισάνθρωπος, ita ut, utrum ad Timonem sillographum an misanthropum Antigoni pertineret testimonium, quaestio esset controversa. Hemsterhusius (ad Lucian. Timon. p. 88 sq.) alio loco positam fuisse censuit Timonis misanthropi mentionem et per errorem librariorum hic irrepsisse, quippe quae ex more Diogenis ad finem esset reicienda. Is igitur Antigoni verba ad Phliasium referre videtur. Obloquitur Huebnerus, non constantem illum fuisse Diogenis morem neque quidquam esse, quo offendi possit, quum, quae sequantur usque ad καθάπερ καὶ ὁ Τίμων, ad eundem pertineant μισάνθρωπον. Atque ab iisdem partibus stare video Rossium (com. Diog. §. LXXXVIII.) qui φιλόκηπον et ἰδιοπράγμονα nullum

verius quam Atheniensem misanthropum nominari contendit, et illum ipsum philosophum merito appellari ex Plinio (hist. nat. VII 19) conligit. (cfr. Suidas s. v. ἀπορρῶγας. Schol. ad Aristoph. Lysistr. v. 808). Quae tamen sunt somnia; recte Wachsmuthius (l. l. p. 6) dixit, ob sententiam prorsus non esse, cur haec Antigoni verba referres ad Timonem Atheniensem, id quod ob verborum constructionem tolerari non posset. Eandem quoque dicendi rationem invenies apud Diog. Laert. VII. 186, ubi his ipsis verbis ὁ δ᾽ οὖν φιλόσοφος ab aliis, de quibus egerat cognominibus, ad eum cuius vitam describit Chrysippum revertitur. ὁ δ᾽ οὖν φιλόσοφος est Timo Phliasius, quem otii fuisse studiosissimum et σπουδάζοντα περὶ τὸ ἠρέμα ζῆν Diogenes testatur. Nil igitur obstat, quominus cum Ionsio (de scr. hist. phil. II. c. 4 p. 131) ad Antigoni vitam Timonis referamus illa verba. Omnem loci difficultatem removebis, si φλιάσιος pro φιλόσοφος leges.

Incertae sedis fragmentum βίων.

XXVII. Laert. Diog. IX 49. γεγόνασι δὲ Δημόκριτοι ἕξ..... τρίτος ἀνδριαντοποιός οὗ μέμνηται Ἀντίγονος.

Quod fragmentum Antigono et vitarum eius libro tribuendum esse tibi persuadebis, si cogitaveris neque alius ac Carystii Antigoni auctoritate et solo eius βίων libro ipsum usum fuisse Diogenem (cfr. adn. ad fr. VI.). Quo tamen loco ponendum sit pro certo dicere non possum. Si id quod a Diogene factum vidimus etiam Antigonum fecisse constaret, ut de cognominibus etiam viris in fine cuiusvis capitis egisset, probabile quodam modo foret, hoc de quo agimus fragmentum ad Democriti philosophi (Diog. Laert. IX. 34 sq.) vitam pertinere. Aliter vero etiam credibile est, Antigonum philosophi alicuius statuam, quarum haud paucas extitisse scimus, commemorantem Democriti eo modo fecisse mentionem, quo Laertius Diogenes Silanionis (III. 25) aliorumque adhibuit nomina. Plinius (n. h. XXXIV. 8) enim Democritum philosophorum fecisse statuas aperte narrat. (cfr. Sillig. cat. artif. p. 181).

Leviter attigenda alia iam restat res quae huc pertinere videtur. Legimus enim apud L. D. IV 65: διὸ δὴ καί φασιν Ἀντίγονον ἐπ᾽ αὐτοῦ (Lyconis philosophi) τοῦτο εἰπεῖν, ὡς οὐκ ἦν ὥσπερ μήλου τὴν εὐωδίαν καὶ χάριν ἄλλοθί που μετενεγκεῖν, ἀλλ᾽ ἐπ᾽ αὐτοῦ τοῦ ἀνθρώπου καθάπερ ἐπὶ τοῦ δένδρου τῶν λεγομένων ἕκαστον

ἔδει θεωρεῖσθαι. Quae verba Antigono Carystio tribuenda esse nego. Quum enim τὸ φασὶν Ἀντίγονον λ. satis ostendit Diogenem, unde sumpserit, non ante oculos habuisse, tum maxime universa dicti ratio a Carystii more abhorret, qui nusquam, quod sciam, de ingenio alicuius viri iudicium protulit, quod vocamus, aestheticum. Antigonus est rex Gonatas, quem scimus (Laert. Diog. V 67) Lyconem ad se invitasse, spe tamen frustratum esse. Nam Luzacii coniecturam (lect. att. p. 204 not. 17) contra Cobeti voluntatem sequamur necesse est, qui illo loco Ἀντίγονος correxit pro Ἀντίοχος. Hoc enim modo et id, quod ipse de Lyconis eloquentia iudicaverat rex, et quod vehementer desideravit, ut hospitio regio uteretur philosophus, non modo in unam aptissime consociantur narratiunculam, sed ita etiam se invicem comprobare videntur, ut necessaria sit Luzacii emendatio neque mittenda. Meinekius quidem (Analect. Alex. p. 10), Antiochum Sotera Lyconem invitasse sibi persuasit, Antiochiamque artium et literarum studio ita fervisse dixit, uni prope ut cederet Alexandriae. Verum enim vero constat et Syriae reges inter omnes Alexandri successores minime cognitos fuisse benevolentia ac studio erga literas literatosque viros, neque Antiochum Sotera unquam philosophiae eximio quodam modo favisse (cfr. Plut. Pyrrh. p. 400 e). Temporum, ut eam attingam, ratio optume nos adiuvat; Antigonus Gonatas mortuus est ol. CXXXIV., Lyco ol. CXXXVIII.

2. Περὶ λέξεως.

XXVIII. Athen. III 88 a. Ἀντίγονος δ' ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ λέξεως τὸ ὄστρεον τοῦτο ὑπὸ Αἰολέων καλεῖσθαι οὖς Ἀφροδίτης.

οἱ ἁλιεῖς καλοῦσι Hesych. s. v. οὖς Ἀφροδίτης. Vulgat. script. est ap. Eusthat. p. 1821. 54. — καλεῖσθαι φησίν Schweighaeuser.

XXIX. Athen. VII 297 e. Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ λέξεως τοὺς ἁλιέας λέγει θυσίαν ἐπιτελοῦντας τῷ Ποσειδῶνι ὑπὸ τὴν τῶν θύννων ὥραν, ὅταν εὐαγρήσωσι, θύειν τῷ θεῷ τὸν πρῶτον ἁλόντα θύννον, καὶ τὴν θυσίαν ταύτην καλεῖσθαι θυνναῖα.

ἐν τῇ περί B. — πρῶτον ABC om. PVL. — Ad idem Antigoni testimonium respicit Athen. VII 303 b: Ἀντίγονος δ' ὁ K. ἐν τῷ π. λ. τῷ Ποσειδῶνί φησι θύννον θύεσθαι, καθάπερ προείπαμεν.

De re cfr. Hermannum (Gottesd. Alt. § 47 A. 11).

3. Περὶ ζῴων.

XXX. Hesych. s. v. ἴλησι gl. ι 560 (vol. II p. 356 ed. M. Schmidt.) Ἀντίγονος δὲ ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ ζῴων τὸν καλούμενον μῦν ἐλειόν.
μυνέλειον cod., corr. Albertus. cfr. gl. ε 936 et 1984.

4. Ἀντίπατρος.

XXXI. Athen. III 82 b.

Ἀντίγονος δ' ὁ Καρύστιος ἐν Ἀντιπάτρῳ φησὶν
ἦχί μοι ὡραίων πολὺ φίλτερος ἦν ἄρα μήλων
πορφυρέων, Ἐφύρη τά τ' ἀέξεται ἠνεμοέσση.

v. 1. ἦχι cod., ναίχι Iacobs. (add. ad Athen. p. 59.), ἦχι fuit scriptura Aristarchea (cfr. Schol. ad Il. α v. 607 et Harleian. ad Odyss. γ v. 87), quae codicis Laurentiani Apollonii Rhodii scribae probari non potuit (cfr. Ahrens. de dial. dor. p. 372). — ὡραίων cfr. Lobeck. Phryn. p. 545. — πολὺ φίλτερος ap. Homer. saepissime (Il. λ 162. ζ 91. ω 748 etc.) — ἡ δ' ἀριμήλων P. ἠδ' ἀριμήλων caet. ἠδ' ἄρα μήλων Casaubon., quem Schweighaeuserus (Adnot. ad Athen. vol. II p. 51) vituperat, quoniam haud sane commodior esset eius emendatio quam ipsa vulgata. Quid tamen is sibi voluerit plane non perspicio, quum unice vera ei videatur Iacobsii (animadv. in Anthol. vol. II p. 1 pg. 203) emendatio ἢ λασιμήλων. Nam neque particulae ἢ locus hic est, neque verbum λασιμήλων est unde satis probetur. Recte enim Papius (Lex. s. v.) λασιόμηλον melius dici probat; quin etiam λασιόμηλον unice est verum (cfr. Lobeck. Phryn. p. 678.) Locum restituit Meinekius.

v. 2. τάτ' ἀέξεται ABDP τάπερ αὔξεται VL. corr. Dindorfius. — Ephyra antiquum est Corinthi nomen (cfr. Schol. ad Il. ζ 152).

5. *Epigramma.*

XXXII. Anthol. pal. II 227 (ed. Iacobs). Analect. Brunck. II 244.

Ἀντιγόνου Καρυστίου.

Ἀργυρέη κρήνη με, τὸν οὐκέτι μακρὰ βοῶντα
βάτραχον, οἰνηραῖς χεῦεν ὑπὸ σταγόσι.

κεῖμαι δ' ἐν Νύμφαις, κείναις φίλος, οὐδὲ Λυαίῳ
ἐχθρὸς, ὑπ' ἀμφοτέρων λουόμενος σταγόσιν.
ὀψέ ποτ' εἰς Διόνυσον ἐκώμασα. φεῦ· τίνες ὕδωρ
πίνουσι, μανίην σώφρονα μαινόμενοι;

Ἐπιγόνου Θετταλοῦ sive Θεσσαλονικέως inscribitur in Planud., Ἀντιγόνου Καρατίου (corr. Iacobs.) εἰς βάτραχον ἀποπνιγέντα ἐν οἴνῳ in Vatic.

v. 1. κρηνίς vulgo, κρήνη Vatic. ἐμε Vatic. — v. 2. ἔσχεν ὕπο vulgo. χεῦεν ὑπό in marg. Vatic., recep. Brunck. — v. 3. φίλος κεῖνος vulgo. κεῖμαι δὲ νύμφαις κεῖνος φίλος Salmasius., corr. Brunck. — v. 4. λυόμενος Stephan. et Wech. — v. 5. ἐκόμασα vulgo, corr. Iacobs. — v. 6. πίνουσιν vulgo.

Iacobsius (Animadv. in Anth. II 2 p. 239) certe non de vera, id quod Opsopoeus voluit, sed de ficta agi rana contendit, in poculo fortasse sive cratere sculpta. Equidem nec Iacobsium nec Opsopoeum sequutus, Antigonum ex poetarum more animo suo haec ita effinxisse credo, ut eam, quam pronuntiare voluit sententiam, significantius et acerbius quodam modo eloqueretur. Animo sibi finxit ranam in cratere iacentem, quae, bacchico imbuta latice, Dionysum celebrare aquamque contemnere incipit, i. e. ipsa bestia aquatilis vini laudat suavitatem; quis iam aquam bibet? Epigramma igitur inludit homines, ut Horatianis verbis utar, frigidos, quorum nulla placere diu nec vivere carmina possunt, ὑδροπότας. — De singulis rebus adeas Iacobsium l. l.

Incertae sedis fragmentum.

XXXIII. Zenob. Centur. V n. 82 (Paroemiogr. Leutsch. et Schneidew. vol. I p. 153). Ἐν Ῥαμνοῦντι Νεμέσεως ἵδρυται ἄγαλμα δεκάπηχυ ὁλόλιθον, ἔργον Φειδίου, ἔχει δὲ ἐν τῇ χειρὶ μηλέας κλάδον· ἐξ οὗ φησιν Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος, πτύχιόν τι μικρὸν ἐξηρτῆσθαι τὴν ἐπιγραφὴν ἔχον Ἀγοράκριτος Πάριος ἐποίησεν.

ἐνδεκάπηχυ B. — ἀπηρτῆσθαι VB. — ἔχων PH. — ἐποίει coni. Schottus.

De re adeas O. Muellerum (de Phid. vit. et opp. com. I p. 41 sq.)

Incerta fragmenta.

6. Ἀλλοιώσεις.

XXXVI. Antonin. Liberal. XXIII. (Βάττος. ἱστορεῖ Νίκανδρος ἑτεροιουμένων α' καὶ Ἡσίοδος ἐν μεγάλαις Ἠοίαις καὶ Διδύμαρχος μεταμορφώσεων γ' καὶ Ἀντίγονος ἐν ταῖς ἀλλοιώσεσι καὶ Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἐν ἐπιγράμμασιν, ὥς φησι Πάμφιλος ἐν α'.)

Ἄργου τοῦ Φρίξου καὶ Περιμήλης τῆς Ἀδμήτου θυγατρὸς ἐγένετο Μάγνης. οὗτος ᾤκησεν ἐγγὺς Θεσσαλίας καὶ τὴν γῆν ταύτην ἀπ' αὐτοῦ Μαγνησίαν προςηγόρευσαν οἱ ἄνθρωποι· ἐγένετο δ' αὐτῷ παῖς περίβλεπτος τὴν ὄψιν Ὑμέναιος. ἐπεὶ δὲ Ἀπόλλωνα ἰδόντα ἔρως ἔλαβε τοῦ παιδὸς καὶ οὐκ ἐξελίμπανε τὰ οἰκία τοῦ Μάγνητος, Ἑρμῆς ἐπιβουλεύει τῇ ἀγέλῃ τῶν βοῶν τοῦ Ἀπόλλωνος· αἱ δὲ ἐνέμοντο ἵναπερ ἦσαν αἱ Ἀδμήτου βόες. καὶ πρῶτα μὲν ἐμβάλλει ταῖς κυσὶν, αἳ ἐφύλαττον αὐτὰς, λήθαργον καὶ κυνάγχην, αἱ δὲ ἐξελάθοντο τῶν βοῶν καὶ τὴν ὑλακὴν ἀπώλεσαν. εἶτα δ' ἀπελαύνει πόρτιας δώδεκα καὶ ἑκατὸν βοῦς ἄζυγας καὶ ταῦρον, ὃς ταῖς βουσὶν ἐπέβαινεν. ἐξῆπτε δὲ ἐκ τῆς οὐρᾶς πρὸς ἕκαστον ὕλην, ὡς ἂν τὰ ἴχνη τῶν βοῶν ἀφανίσῃ, καὶ ἦγεν αὐτὰς ἐλαύνων διά τε Πελασγῶν καὶ δι' Ἀχαΐας τῆς Φθιώτιδος καὶ διὰ Λοκρίδος καὶ Βοιωτίας καὶ Μεγαρίδος, καὶ ἐντεῦθεν εἰς Πελοπόννησον διὰ Κορίνθου καὶ Λαρίσσης ἄχρι Τεγέας, καὶ ἐντεῦθεν παρὰ τὸ Λύκαιον ὄρος ἐπορεύετο καὶ παρὰ τὸ Μαινάλιον καὶ τὰς λεγομένας Βάττου σκοπιάς. ᾤκει δὲ ὁ Βάττος οὗτος ἐπ' ἄκρῳ τῷ σκοπέλῳ· καὶ ἐπεὶ τῆς φωνῆς ἤκουσε παρελαυνομένων τῶν μόσχων, προελθὼν ἐκ τῶν οἰκείων ἔγνω περὶ τῶν βοῶν ὅτι κλοπιμαίας ἄγει, καὶ μισθὸν ᾔτησεν, ἵνα πρὸς μηδένα φράσῃ περὶ αὐτῶν. Ἑρμῆς δὲ δώσειν ἐπὶ τούτοις ὑπέσχετο, καὶ ὁ Βάττος ὤμοσε περὶ τῶν βοῶν πρὸς μηδένα κατερεῖν. Ἐπεὶ δὲ αὐτὰς Ἑρμῆς ἔκρυψεν ἐν τῷ πρηῶνι παρὰ τὸ Κορυφάσιον, εἰς τὸ σπήλαιον εἰςελάσας ἄντικρυς Ἰταλίας καὶ Σικελίας, αὖτις ἀφίκετο πρὸς τὸν Βάττον ἀλλάξας ἑαυτὸν καὶ πειρώμενος εἰ αὐτῷ συμμένειν ἐπὶ τοῖς ὁρκίοις ἐθέλει, διδοὺς δὲ μισθὸν χλαῖναν ἐπυνθάνετο παρ' αὐτοῦ, μὴ κλοπιμαίας βοῦς ἔγνω παρελαθείσας· ὁ δὲ Βάττος ἔλαβε τὴν χλαμύδα καὶ ἐμήνυσε περὶ τῶν βοῶν. Ἑρμῆς δὲ χαλεπήνας ὅτι διχόμυθος ἦν, ἐρράπισεν αὐτὸν τῇ ῥάβδῳ καὶ μετέβαλεν εἰς πέτρον. καὶ αὐτὸν οὐκ ἐκλείπει κρύος οὐδὲ καῦμα. λέγεται δὲ καὶ ὁ τόπος παρ' ὁδευόντων ἄχρι νῦν σκοπιαὶ Βάττου.

4. ἀϊδόντα Xyl. — 9. φυλακὴν cod., ὑλακὴν Iacobs. (exerc. in

scr. vett. II p. 89). — 13. Ἀχ. καὶ Φθ. coni. Berkel. — 17. ἐπ' ἄκρῳ τῷ σκοπέλῳ vulg., ἐπάκρῳ vir doct. in misc. obs. 2 p. 153., corr. O. Schneider. (Nicandrea. p. 50.) — 18. οἰκείων P., legebatur οἰκίων. — 19. κλοπιμαίας P. κλοπημαίας vulg. — 22. πρηῶνι P. πριῶνι vulg. — 23. αὖθις cod., corr. O. Schneider l. l. ob constantem Antonini usum. — 25. χλαῖναν Berkel., χλανίδα Munck. — 28. ἐράπισεν P. — 29. παροδευόντων vulg., corr. Westermann. — 30. σκοπιά vulg., corr. O. Schneider. l. l. propter v. 16: τὰς λεγομένας Βάττου σκοπιάς.

7. Περιήγησις μακεδονική.

XXXV. Stephan. Byz. s. v. Ἀβάντις. Δοκεῖ δ' ἀπὸ τοῦ Ἀβάντιος εἶναι τὸ Ἀβαντιάς.... Μαρτυρεῖ δὲ τῷ προτέρῳ λόγῳ ἀπὸ τοῦ Ἀβάντιος Ἀβαντιὰς τὸ Ἀβαντία θηλυκόν· ὅπερ που κατὰ βαρβαρικὴν τροπὴν τοῦ β εἰς μ Ἀμαντία ἐλέχθη παρὰ Ἀντιγόνῳ ἐν Μακεδονικῇ περιηγήσει.

cfr. Etymol. Magn. s. v. Ἄμαντες. Hesych. s. v.

REINHOLDI KOEPKII VITA.

Natus sum Berolini a. d. XV Kal. Aug. anni CIƆIƆCCCXXXIX parentibus dilectissimis Ernesto, nunc academiae Brandenburgensis, qua equitum pueri educantur, directore atque Ida, e gente Bernheimiana. Fidem profiteor evangelicam. Literarum primordia in schola edoctus, etiamnum auspiciis Caroli Gruetzmacheri in ipsa patria urbe florente, anno XLVIII gymnasium adii Fridericum-Werderianum, quod et rectore Eduardo Bonnellio et praeceptoribus praestantissimis adhuc excellit. Novem per annos magistris usus sum et patre et viris praeclaris Bonnellio, Jungkio, Keilio, Richtero, Rungio, Salomone, Zimmermanno professoribus, et Bertramio, Schwartzio, Wolffio aliis, quorum memoriam grato semper animo prosequar. Ab anno inde LVII Berolinensis primum universitatis civis, quum philologiae, cuius amorem iam ab ineunte aetate ex patre concepi, operam navare decrevissem, per duo semestria scholis interfui virorum clarissimorum doctissimorum Boeckhii, Guhlii, Hauptii, Hengstenbergii, Trendelenburgii. Anni LVIII aestate Bonnam me contuli, ubi in splendidissima illa academia per unum annum et dimidium duces sequutus sum excellentissimos Welckerum et Ritschelium, quorum insigni disciplina in regio philologorum seminario fruebar, atque Jahnium, Loebellium, Buechelerum. Autumno anni LIX Berolinum regressus sum ut stipendia facerem, et denuo civium academicorum numero adscriptus etiam viros clarissimos Althausium, Droysenium, Gneistium, Guhlium, Hauptium, Koepkium, quantum ex militia erat otii, audivi. Quibus omnibus, quod vel publica ex cathedra vel familiariter studia mea rexerint benevolentissimeque stimulaverint, gratias ago quam maximas; atque spero fore ut in universa vitae ratione, quid iis debeam, probo testari possim animo. —

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Grammaticae disciplinae primordia a studiis Homericis repetenda sunt.
2. Callimachus non solum principia regni Ptolemaei Euergetae vidit, sed etiam multo diutius vixit.
3. Sana sunt Suidae de Euphorionis aetate verba s. Εὐφορίων, quae Custeri exhibent codices.
4. Zumptius (Philosophenschulen pg. 76) erravit in definienda Zenonis stoici aetate.
5. Aristoteles tres modo orationis partes constituit.
6. In Eurip. Phoeniss. v. 849 corrigendum est ὡς πᾶς τε πηρός κτλ.
7. In cap. 71 συναγωγῆς, quae vulgo Antigono Carystio tribuitur, restituendum est ἐνίοις pro ἕτερα.
8. Ibidem c. 127 lego ἂν εἰκονολογεῖν.
9. Apud Diodorum bibl. hist. IV 22 pro ἀφανεῖς bis scribendum est ἀφώνους.
10. Apud Plinium in hist. n. VII 36 et Ciceronem in Lael. 20, 73 et in Tusc. quaest. IV 17, 40 contra codicum auctoritatem P. Rupilii nomen ponendum est.